INSTITVTIONVM SCHOLASTICARVM

LIBRI TRES.

*Omnibus Litterarum & Chri-
ſtianæ Pietatis ſtudioſis, vti-
litatis non parum alla-
turi, conſcripti
per
Simonem Verrepæum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIAE,
Apud Ioannem Bellerum ad
inſigne Aquilæ aureæ.
M.D.LXXIII.
Cum Priuilegio Regis.

Quid ſinguli libri complectantur.

I. Agit de qualitate, delectu, & officio tũ Præceptorũ tum Diſcipulorum: ac de tota rectè docendi ratione generatim.

II. Exhibet facilem inſtituendi modum in humanioribus litteris Iuuẽtutem, donec idonea ſit, quæ mittatur in Academiam.

III. Oſtendit qua ratione ac modo ſit educanda Iuuẽtus in Pietate, & Chriſtiana, vera, ac Catholica Religione.

ORNATISS.
PRAESTANTISSIMOQVE VIRO D. MAXIMILIANO MORILLONIO, METROPOLITANAE Eccleſiæ Mechlinienſis Archidiacono, & Illuſtriſs. D. Cardinalis Granuellani Vicario generali. S. D. P.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SI quod tribus his libris ſcribere inſtituimus, pari dexteritate perficere & abſoluere poſſemus, atque ipſa requirit inſtituti operis vtilitas, magnopere nobis ſperare liceret, nos rei litterariæ ſtudioſis, atque per hos omnium hominum tum priuatis, tum publicis commoditatibus adiumetum longè maximũ allaturos. Nam *ſi recte rem ipſam æſtimare veli-*

mus, quid eſt in tota rerum vniuerſitate, quod ad firmam & ſalutarem rerum ſeu priuatarum, ſeu publicarũ conſtitutionẽ emolumenti plus afferat, quam recta puerorũ educatio, ſedulaq́ʒ ac legitima illius primæ ætatis diſciplina? Hæc etenim fons eſt, hæc origo humanæ felicitatis, & ciuilis concordiæ, ex qua omnis honeſtas promanat : Nec vlla eſt Reſp. tam firmè cõſtituta, quæ neglectis litteris, aut ſalua cõſiſtere, aut ſuam tueri dignitatem diu poßit.

In Scholis ſiquidem vnà cum litterarum inſtitutione, etiã Pietatis & Virtutum præcepta proponun-

ponuntur, ad quæ Pueri rudibus annis aſſuefacti, paulatim ad rectum rationis vſum, & morum honeſtatē perducuntur, vt ætate dehinc maturiori, ad quodcūque vitæ genus aſſumãtur, recte ſuū faciant officium: Quin vel experientia ipſa diſcimus, nihil perinde conferre, ad deprauatos hominū mores corrigendos, quam ipſa litterarū ſtudia, quæ primā ætatē ſuapte ſponte lubricam ab intemperantia coercent, motus animi componunt, omniſq́; ignorantiæ tenebras diſcutiunt.

Quæ res cū non omnibus vbiq́; gentium potuerit facile perſuaderi, maximum Reip. Chriſtia-

næ detrimẽtum & calamitatem attulit: Hinc nati ſunt multis in locis maximi erroris, & pernicioſæ rerum mutationes: hinc bonæ Leges labefactatæ, iudicia neglecta, Religio concuſſa & diminuta: Hinc inteſtinis odijs, bellisq; ciuilibus Diuina pariter & humana ad ruinam incumbunt: Atq; vt in pauca multa conferã, mala pæne omnia, quibus humana vita eſt obnoxia, ex ſtudiorũ, & puerilis diſciplinæ neglectu, craſſáque hominum ignorantia proficiſcuntur.

Quod cum perſpicerẽt ſanctiſſimi prudentiſsimiq; Tridentinæ Synodi Patres, multa præclarè et

rectè ſtatuerunt de inſtaurandis Scholis, de nouis erigendis Seminarijs, deq́ue Puerorum ſtudijs in omni genere diſciplinarũ quam plurimum prouehendis.

Quorum decreta, vt executioni demandentur, cum R.T. diligentiſsimam nauet operam, ſtudeatq́ue impenſius puerilia litterarum ſtudia in hac diœceſi promouere: Ipſe mihi cogitandũ quoque exiſtimaui, qua ratione hunc ipſum Scholarum profectũ poſſem non nihil adiuuare, viſusq́ue ſum mihi operæprecium facturus, & rem non ingratam nouis potiſsimùm & inexercitatis Scholarũ magiſtris, ſi hos Inſtitutionum

Scholaſticarũ libros, ſub celeberrimi tui Nominis auſpicijs in lucẽ proferam, vt qui Illuſtriß. & Ampliß. Cardinalis Granuellani nomine hoc negocium Scholarũ inter alia quã plurima ſuſcepiſti: ita per te quoque ijſdem hic liber donetur, quo litterarij ludi rectè aperiendi rationem ac modum cõmonſtramus, aut, vt verius dicam, commonſtrare ſedulo conati ſumus: ſi vero ſucceſſus non vbique reſponderit, tamen permulta his libris ineſſe non diffidimus, quæ tũ Pædonomis ipſis, tum Diſcipulis, non parum fructus ac voluptatis ſint allatura.

Prodeat itaque felicibus auſpicijs

ciјs ſub tutela ac patrocinio R. T. hic fœtus noſter, quā equidem ſummè rogatam velim ac obſecratam, vt hoc quidquid eſt muneris quod offerimus, à cliente ſibi addictiſsimo benignè ſuſcipiat. Tum etiam vt hoc Scholarum negocium qua cœpit beneuolentia fauore, ac patrocinio, proſequi porro non grauetur: Quo officio nulla re alia Deū ipſum magis ſibi demerebitur: nec publicæ ciuitatis iſtius vtilitati magis cōſulet, nec aliunde maiorem veriorēq; laudē & gloriā conſequetur.

Deum Opt. Max. precor, vt te præſtantiſsime D. Archidiacone, quam diutiſsimè Eccleſiæ ſuæ

ſuperſtitem & incolumem conſeruet, & pios conatus tuos, præſentiq́ue huic ſeculo maximè neceſſarios, dignetur feliciter proſperare.

Mechliniæ, ex calamitoſo Monaſterio noſtro Thaborino: quod R.T. patrocinio plurimùm cupio commẽdatum. Anno ſalutis per Chriſtum reſtitutæ, Milleſimo Quingenteſimo, Septuageſimo tertio, pridie Kal. Nouembres.

R. T. Obſeruantiſs. cliens
Simon Verrepæus.

AD BENEVOLVM
LECTOREM.

EN prodit in lucem, beneuole Lector, noſtra de aperiendis Scholis, & educada liberaliter & piè Iuuentute, qualiſcunque ea ſit, certè à multis iamdiu efflagitata commentatio; cuius ne nihil ageremus, non exiguam partem Coloniæ tum temporis ſcribebamus, cū annis aliquot ſuperioribus Iconoclaſtarū furores, apud pleroſque Belgos deſæuirēt, & nos libraria ſupellectile tum deſtituti, ab alijs ſtudijs neceſſariò vacaremus; eaque tum inchoata, rudis, & indigeſta adhuc, dum multis aduerſis Fortunæ fluctibus agitamur, diu à nobis neglecta iacuit. Quid enim agas quæſo, dum omnia teterrimis bellis quatiuntur? dum vix vllus inter ipſos armatorum gladios & haſtas militaris ferociæ locus eſt expers? dum ea iam adeſt tempeſtatis conditio, qua magis de vita tuenda ſolicitus labores, quam de ſtudiorum & Scholarum commodis promouendis?

Vix illæ ſatis conſederant turbulentarum tempeſtatum procellæ, & ecce nos aliud quaſi eueſtigio malum inuadit, priore nihilo mitius, calculus nimirum tortor omnium ſæuiſſimus & infeſtiſſimus, quicum dum pæne aſſidue luctor, cœpi à lucubrandi laboribus, quos non mediocres in his ſcriptis congruentius, vti cupiebam, diſponendis, & accuratius paulo expoliendis, neceſſariò mihi ſubeundos videbam, ita totus abhorrere, vt ſæpenumero & hæc, & alia nōnulla blattis & tineis deuouenda cēſuerim; Nec de his euulgandis etiamnum multum cogitarem, niſi importunior Ludi-

magiſtrorum quorundã efflagitatio, ad editionem me impelleret, qui hos libros obiter fortaſſis inſpectos, qualeſcunque potius in lucẽ proferri poſtulant, quam promiſſæ expolitionis inani ſpe & expectatione diutius ac longius protrahantur.

Cum igitur valetudo nec dum ſatis ſit confirmata, & otij ad hos retexendos elimandosque neceſſarij, ſpem plane dubiam affulgere videam; age obſequar efflagitantium votis; Sed tamen hac lege cum Ludimagiſtris, ceterisque Lectoribus, ſi qui tamen erunt, paciſcar, vt ſi laborem hunc noſtrum nõ, vt inutilem, abiecerint; ſed tamẽ, (quod in tanta Iudiciorũ varietate intelligens nemo mirabitur) nonnulla in eo mutanda, omittenda, vel adijcienda iudicarint, vel quoquo modo corrigẽda, de ijs inquã omnibus, vel me, vel huius primæ editionis Antuerpiæ ad ſignum Aquilæ typographum Ioannem Bellerum liberrimè curẽt admonendum. Nullius enim amicam vel ſpongiam vel limam recuſabo, vt etiam is magnam à me ſit initurus gratiam, qui horum elimandi labores ſtudio ſuo ac opera dignabitur vel mitigare, vel vtili aliquo auctario hoc opus augere; quóque plura donaria huc contulerit, hoc apud me gratiam maiorem idem demerebitur.

Tuarum igitur partium fuerit optime & integerrime Lector, vt ſiquam ipſe nôris compẽdioſiorem inſtituendæ Iuuentutis viam, faciliorem modum, aut commodiorem rationem, nobiſcum hanc ipſe cõmunicatam eſſe velis. Tum etiam de ijs quibus medicam manum adhibendam eſſe iudicabis, vel quæ tibi minus probabuntur, accuratiſſimè nos facias certiores. Res eſt, quam petimus

non magni laboris, vt meritò deceat, te homini, tui, vt vides, tuæque fidei commiſſorum tironum ſtudioſiſſimo hac in re libentiſſimè gratificari; Atque vtinam ſequi non grauêre exemplum Ludimagiſtri cuiuſdam Colonienſis hominis doctiſsimi & integerrimi, qui ex incredibili quodam hanc primam ætatem iuuandi ſtudio, non illiberale ad hoc opus perficiendum miſit ad me congiarium, quo nomine plurimum ipſi grato libentique animo debere volò.

Adhæc cum alij nonnulli diuerſæ nationis, huc manus adiutrices contulerint, hoc tamen mihi ingenuè fatendum, me nullis omnino plus debere, quam Societatis Ieſu profeſſoribus, ex quorum nouem Collegijs nactus de ratione inſtituendæ apud illos Iuuentutis chartaceos indices mutuatus ſum, & deſcripſi ex ijs, non minimam eorum partem, quæ de Claſsibus diſtribuendis, idoneiſque libris ſingularum Claſsium auditoribus prælegendis, in toto hoc opere conſcripſimus: quibus, cum Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, in Iuuentute piè fideliterque inſtituenda, ſiue ipſam ſpectes pietatem, ſiue quamcunque etiam artem liberalem, primas meritò deferre debeat, eorum non illibenter ſecutus ſum veſtigia. Quorum exemplo ſi plures alij Scholarum amore incitati huc ſua dona contulerint, ſperauerim hoc opus editione proxima locupletius & elimatius in lucem proditurum.

Quod reliquum nunc eſt, Deum precor Opt. Max. vt Latinæ linguæ ſtudioſis hunc laborem ita prodeſſe velit, vt is ad ipſius honorem & laudem celebrandam, proximiorumque ſalutem pro-

mouendam à nobis ſuſceptus eſt. Vale feliciter beneuole Lector, & nobis pro hoc labore noſtro propitios ſubinde precare ſuperos. Mechliniæ è gynæceo noſtro Thaborino, anno calamitoſæ cō-flagrationis eius ſecundo iam ineunte. Quo die hæc Ciuitas anno ſuperiori militibus in prædam data, hoc chronologicum, triſte, & lamentabile in ſempiternam rei memoriam reliquit elogium.

MeCheLen ſaL ten eeWIghen daghen
Den tWeeden daCh oCtobrIs beCLagen.

EXIMIA CVM ERVDITIONE, TVM PIETATE CONSPICVO VIRO D. SIMONI VERREPAEO F. Libertus Houthemius, Leodius.

SVnt qui proteruis detonent clamoribus,
O Vir, quem ad vnguem iure factum dixero,
Vt ſunt iniqui munijs ſcholaſticis,
Longi labore temporis, natos ſuos
Parum referre frugis ex gymnaſtica,
Quæ litterarum mancipat nos legibus.
Simulque totam transferunt culpam rei,
In hos, magiſtros quos ſuis præfecerant,
Dum liberis ceu ſimiæ indulgent ſuis,
Vel maxime diſcenda negligentibus.
In his caninum crederes Sinopea
Ex inferis reſuſcitatum viuere.
Lingua profundunt tam procace calumnias.
Affectibus ſed ſi remotis iudicem:
Profecto mira ſæpe res viſa eſt mihi,
Poſtquam Latinæ Tullius linguæ pater
Docet neceſſe literas huic percipi,
Qui tempus affert atque diligentiam,
Ad conſequendam literarum gloriam:
Tamen haud deeſſe, pænitendo commodo
Multum diuque qui vacarint artibus.
Quæ cauſa ſubſit, quiſpiam ſi me roget:
Teſtudo quondam tramitem rectum ſequens,

Ad de-

Ad deſtinatum terminum præuerterat
Ambagibus circumuolantem plurimis
Iouis volucrem, (fabulæ ceu dictitant.)
Hanc tu videre viſus es cauſam quoque,
ERE *Vere modis vir omnibus doctiſsime,*
IVS *Vere modis vir omnibus pijſsime,*
Vno libello qui doces, quicquid ſacra
Docuit Vetuſtas, quicquid hæc ætas docet,
De rite tradendis iuuentuti artibus,
Dum commodum cuique ponis ordinem.

M. RVMOLDVS VERDONCK, EERSELIVS.

DVm prolixa grauant linguæ præcepta Latinæ,
Nec Methodi ratio, nec via plana patet:
Preſſa iacet miſerè tumida ſub mole Iuuentus,
Nec ſtudium pauci deſeruere ſuum.
Et rurſus nimia ſi quis breuitate laboret,
Deſignans breuibus ſingula quæque notis:
Perplexi Iuuenes, veluti de nocte vagantes,
Defeſsi primo lumine ſæpe cadunt.
Hæc duo ſi quiſquam medio diſcrimine ſignet,
Hunc immortalis lauſque decuſque manet.
Præſtitit hoc verè ſtudio Verepæus alâcri,
Vt mira ingenij dexteritate valet.
Dum tibi Grammatices, Iuuenis, penetralia pandit,
Qua fieri potuit commodiore via.

Adde

Adde quod & facilem libro hoc deduxit ad artem
Diſcipuli mores, officiumq́ue boni.
Vtq́ue omnis ſummus Pater eſt ſapientia ſolus,
Huius ab auſpicijs erudijſſe iubet.
Quiq́ue dat ingenijs cœleſtes Spiritus ignes
Qua, docet imprimis, mente colendus erit:
Inde, rudes animos qui dirigit arte, Magiſtrum
Præcipit integro ſemper amore coli.
Hæc igitur, Iuuenes, animis infigite veſtris,
Sub quibus vtilitas tam precioſa latet.
Et dignum eximia Verepæum attollite laude,
Ante minus notum qui patefecit iter.

Liræ in aula Ranſtana.
Anno 1573.

AD SCHOLASTICAS INSTITVTIONES D. SIMONIS VERrepæi M.Henrici Deruuæni Leodien. Phaleucion protrepticon.

QVi ſanctum ſimul, & ſimul diſertum
Exquiris ſapientiæ magiſtrum,
Vltra quid petis? en tibi libellum
Monſtrantem ſemitam bene expeditam
Ad fontem placidum Latinitatis,
Ad longè optima, litteras & arteis.

Ex hoc multiiugam rudi Iuuentæ
Doctor hauriet eruditionem.
Fons & principium ſcientiæ omnis
Cum ſit ille timor, timor Dei inquam,
(Nam quis aptius, efficatiusq́;
Tardas exacuet, trahetq́; mentes?)
Hoc vult principio imbui Iuuentam.
Mores, officiumq́ue quod Magiſtro
Debent Diſcipuli, docet deinde.
Quid? Princeps ita Verrepæus artes
Monſtrat grammaticas, ita & venuſtè,
Vt vix iuuenias parem, aut ſecundum.
Hinc doctos ſtudio hoc ſuo benigno
Ad perenne decus ſibi obligauit.
Quare viue vale Deo, Patrone
Muſarum bone, viue Verrepæe,
Qui nobis aperis nouam hanc arenam.

EIVSDEM AD M. SIMONEM VERREPAEVM, HEROICVM et trimetrum.

Tu tibi præclaro deuincis munere Muſas,
Studijs Iuuentæ luculenter conſulens.
Illum te præſtas meritò quem quisq́; ſequatur;
Seu tradat artes, ſiue diſcat literas.

1573.

INDEX EORVM QVAE HIS LIBRIS CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS.

De operis totius argumento ac Methodo. Pag.1
Per quos Religio potiſsimum, & Reſpublica Chriſtiana ſit inſtauranda. Pap.4
De Ludimagiſtrorum delictis & cauſſa frigentium ſtudiorum. 6
De varijs Diſcipulorum delictis. 6
Quibus præditum eſſe oporteat Ludimagiſtrum, & quod præcipuum eius officium. 12
De Diſcipulis & eorum officijs. 24
De indicijs bonæ Indolis obſeruandis. 29
Signa futuræ eruditionis & probitatis. 29
De Diſcipulorum erga Magiſtros gratitudine. 30
De Præceptionibus Artium. 32
De Scriptoribus & Libris ad imitandum propoſitis. 34
De quotidiana ſtudiorum exercitatione. 37
De excitanda ſtudiorum voluptate. 38
De Loco Studijs conuenienti. 39
De Luſu & Studiorum remiſsione. 41
Puerorum Luſus ſit moderatus &c. 42
Puerorum Luſus liberalis ſit & ingenuus. 43
In Luſu omnibus Latinè loquendum. 45
Pietatis & Studiorum incitamenta quædam. 46
Chriſtianæ Pietatis ſymbola. 47
De Caſtigatione prudenter interdum adhibenda. 48
Caſtigatio à Diſcipulo non acerbe ferenda. 53
De Diſciplina Nobilium. 54

LIBER II.

Claſsis Septima.

Prima Studiorum tirocinia. 56
De Repetitione Diei Sabbathi. 61

De morum ciuilitate. 62
Qui ad Sextam Claſſem non admittendi. 64

Claſsis Sexta.

Summa Claßis. VI. 65
De Grammaticis præceptionibus initio proponendis. 65
De Sententijs in hac Claſſe prælegendis. 68
Lectionis in his Sententijs examinandæ formula. 69
De vtilitate ediſcendi & excolenda memoria. 70
De prælectione Dictionarioli, vt vocant. 71
De duplici genere exercitationis ſtudiorum. 72
De Diſputatione. 73
De Repetitione. 74
De Cantu Eccleſiaſtico. 75
De quotidiana Latinè loquendi conſuetudine. 75
De vtilitate venuſtè ſcribendi ſeu pingendi. 76
De Litterarum decore & venuſtate. 78

Claſsis Quinta.

Claßis V. Schematiſmus. 81
De Grammaticæ Præceptionibus. 81
De Libris propoſitis ad imitandum. 83
Præceptoris officium in Imitationis ſcriptis prælegendis. 83
Lectionis in libello imitationis examinandæ formula. 86
De ediſcendo, & excolenda memoria. 87
De modo recitandæ & à Præceptore diſcutiendæ Lectionis. 88
De ſubrogandis interdum doctiorib. in locum hypodidaſcali. 89
De Diſputatione & pingendi exercitio. 89
De quotidiana & vtiliſsima Latinè loquendi conſuetudine. 90
De Exercitatione ſtyli. 91
De Scriptura epiſtolari. 94
De Dictatis Diſcipulorum emendandis. 95
De Lectione priuata. 96
Diebus Sabbathi. 99

Claſsis

Claſsis Quarta.

Claßis IIII. Schematiſmus. 100
De prælectionibus Artium. 100
De Scriptoribus Imitationis. 101
Modus examinandæ Lectionis. 103
De ediſcendo, varijsq́ Memoriæ commodis & incommodis. 105
De Styli exercitio & eius vtilitate. 108
De multiplici ſtyli argumento. 109
De Puerorum dictatis emendandis. 111
De Studio priuato. 112
De Libris Styli & Locorum communium. 113
Diebus Sabbathi. 115

Claſsis Tertia.

Claßis III. Schematiſmus. 116
De Præceptionibus Artium. 116
De Auctoribus Imitationis. 118
Ratio excutiendæ Lectionis. 121
De Lectione ediſcenda & recitanda. 123
De multiplici exercitio Styli. 123
De Puerorum dictatis emendandis. 128
De actione Comica. 129
De Lectione priuata. 130
De Locis communibus Sermonis & Rerum. 133
De Locis communibus Rerum. 134
Diebus Sabbathi. 136

Claſsis Secunda. 137.

Claßis II. Schematiſmus. 137
De Præceptionibus Artium. 138
De Scriptoribus Imitationis. 139
Modus expendendæ Lectionis. 141
De exercitatione Styli in proſa. 142
De exercitatione Styli in carmine. 143
De proponendis epiſtolarum argumentis. 144

De ratione emendandi. 148
De modo voces Latinas accommodandi ad vſum. 148
De Actione Comica. 149
Libri aliquot priuatæ Lectionis. 150
Diebus Sabbathi. 151

Claſsis Prima.

Claſsis I. Schematiſmus. 152
De Præceptionibus Artium. 153
De auctoribus Imitationis. 154
Modus diſcutiendæ Lectionis. 155
De multiplici exercitatione Styli. 156
De ratione emendandi. 159
De Declamationibus. 160
De Diſputatione. 163
De Actione Tragica. 166
Libri aliquot priuatæ Lectionis. 166
De Studio priuato vtiliter in quauis Claſſe inſtituendo. 167
Tria in omni Lectione conſideranda. 167

LIBER III.

Claſsis Septima.

Summa Doctrinæ & praxios Claſsis. VII. 179

Claſsis Sexta.

Summa Doctrinæ & praxios eiuſdem. 190

Claſsis Quinta.

Summa Doctrinæ & praxios eiuſdem. 201

Claſsis Quarta.

Summa Doctrinæ & praxios eiuſdem. 221

Claſsis Tertia.

Summa Doctrinæ & praxios eiuſdem. 233

Claſsis Secunda.

Summa Doctrinæ & praxios eiuſdem. 249

Claſsis Prima.

Summa Doctrinæ & praxios eiuſdem. 263
Diuerſarum Scholarum Leges & Inſtituta. 283
Leges ac Inſtituta ex Collegio quodam Italico. 287
Leges domeſticæ Scholæ cuiuſdam in Germania. 296
Leges alterius cuiuſdam Scholæ in Germania. 304
Leges celebris cuiuſdam Scholæ Belgicæ. 313
Leges Scholæ cuiuſdam Batauicæ 320
Leges Claſsice X I I. cuiuſdam alterius Scholæ Batauicæ. 327
Pædonomia ſiue Lex diſcipuli, ex Lud. Viue lib. de tradendis diſciplinis deſumpta. 328
Breuis quædam Inſtructio ad rite confitendum & communicandum, tum Spiritualiter, tū Sacramentaliter pro diſcip. grandiorib. 330
Breuis Inſtitutio Chriſtianæ Pietatis pro coronide. 346

FINIS.

DISTICHON AD PAEDONOMVM QVAERENTEM IDONEAM & facilem educandæ Iuuentutis rationem.

Heus quid agis? Libros quid opus peruoluere multos?
Hunc lege, multorum ſolus hic inſtar erit.

Mechl. 1 5 7 3.

CAutum eſt auctoritate Philippi Hiſpaniarũ Regis, Brabantiæ Ducis &c. ne quis Typographus aut Bibliopola, alius à Ioanne Bellero, imprimat *Inſtitutionum Scholaſticarum libros tres, à Simone Verrepæo conſcriptos*, vel alibi impreſſos in Brabantiæ Ducatum intra quinquennium vænales inuehat, ſub pænis in Priuilegio cõtentis. Actũ Bruxellis die 11. Aug. 1573. & ſubſcriptum.

de VVitte.

Simili Priuilegio cautũ eſt Ioanni Bellero Bibliopolæ Antuerpienſi, nec quis Typographus aut Bibliopola, vel alius cuiuſcunque is fuerit cõditionis, idem Opus in Hæreditarijs ditionibus Philippi Regis noſtri, intra quinquennium imprimat, alibìve impreſſum diſtrahat; Præuaricatori dupla in mulctam conſtituta, Fiſco, Denunciatori, & eidem Bellero applicanda. Actum Bruxellis 29. Iulij 1573. Subſcripſit.

I. de la Torre.

INSTITVTIONVM SCHOLASTICARVM.

LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De operis totius argumento ac Methodo.

QVemadmodum peregrini viatores, quibus commoda quo tendunt nota eſt via, commodius quoque ac citiùs eò perueniunt, quam viæ ignari: ita prorſus euenire conſueuit litterarum ſtudioſis adoleſcentibus: Qui enim probatam ſtudendi ationē ac modum tenent, felicius multo progrediuntur, & celerius quam ceteri optatam ſtudiorum metam contingere conſueuerunt. Quin ipſa quoque nos docet rerum magiſtra experientia, adoleſcentes nōnullos felici ingenio, memoriaque fideli præditos, nullo vel certe exiguo cū fructu verſari in litterarum ſtudijs, quod nullam certā eorum teneant aut ſequantur rationem: At ſi huiùs rei cauſſam indagâris, deprehendes ſcilicet, frequenter illud euenire, non tam diſcipulorū culpa, quam magiſtrorum hanc ætatem non rectè, vt oportebat, inſtituentium, vt qui facilem & expeditam viam, litterarum ſtudia ritè auſpicandi, vel ipſi non norint: vel ſi norint, diſcipulis tamen, vt hanc ſequantur commonſtrare negligunt.

Quæ cum ſæpenumero conſiderarem, facturus videbar operæ precium, & rem non inutilem, nec, vt ſpero, ingratam rudioribus quibuſdā & inexercitatis adhuc

puerilis ætatis formatoribus; tum etiam diſcipulis ipſis Latinæ linguæ ſtudioſis, ſi velut in tabella ſpectandum proponam, quæ viris in paleſtra hac ſcholaſtica exercitatiſſimis, optima docendi diſcendiq́ue videatur eſſe ratio: tametſi hāc ipſam nolim omnino polliceri talem, vt omnium doctorum calculis ſperem ſtatim approbandam, quod in tanta iudiciorū varietate vix fieri, aut etiam à quoque ſperari vix poſſe exiſtimo; Nos igitur hoc, quidquid id eſt lucubratiunculæ, eo potius pertinere volumus, vt hac admoniti, doctiores & exercitatiores in re litteraria pædotribæ, excitentur ad commodiorem aliquam rectè docendi methodū ac viam commonſtrandum, quæ ſpes, ſi non fefellerit, erit quod hoc nomine & mihi gaudeā, & ſtudioſis omnibus vehemēter grauler.

Nunc igitur, quod res ipſa poſtulat, dicendum nobis primum omnium de libri totius ordine ac Methodo, quam commodiorem fore arbitramur, ſi totum hoc ſcriptum in tres libros diuiſerimus. ac primo quidem conſtituerimus certa quædam Inſtitutionis noſtræ capita, ceu firma quibus reliqua omnia nitantur fundamenta: Hæc vero erunt de cauſſis quæ Scholarum ſtudiorumq́ue neglectum attulerunt. De qualitate & officio tum ipſius Ludimagiſtri, tum diſcipulorum. De libris primæ ætati proponendis. De excitāda ſtudiorum exercitatione, & eorundem voluptate. De luſu & remiſſione ſtudiorum, De Caſtigatione prudenter interdum adhibenda, Ac poſtremo qua ratione ac modo ſit inſtituenda nobilitas.

Secundo

Secundo iam libro Iuuentutem Latinæ linguæ ſtudioſam, diſtribuemus in Septem ordines, vel curias, ſiue claſſes, exemplis & vocabulis magnorum populorum, propoſito in ſingulis Claſsibus certorum librorum Indice, qui in litteris profanis, doctorum iudicio, Diſcipulis vtiliter enarrentur. Non omnes quidem illi, ſed quos ex ijs cuiuſque Præceptoris cenſura, diſcipulorum ætati & eruditioni delegerit magis congruentes.

Poſt Indicem vero proferemus doctorum itidem Iudicia de Præceptionibus, quæ in Grammatica, Dialectica, & ceteris artibus pueris proponi debeant, quæque earum videatur conuenientiſsima prælegendi ratio, Tum qui auctores Imitationis ſint enarrandi, ex quibus purè loquendi ſcribendiq́ue formulæ & exempla à diſcipulis depromantur, vnà cum lectionis iam enarratæ, diſcutiendæ, & examinandæ formula. Sequuntur deinde varia ſcholaſticarum Exercitationum genera, quibus iam cognitæ Præceptiones confirmētur. Cuiuſmodi ſunt hæc tria, Compoſitio ſeu Exercitatio ſtyli, Diſputationes & Repetitiones. Poſtremò vero commonſtrabimus rationem ſeu modū, quo quiſque ſua ſtudia priuata vtiliter ac rectè poſsit inſtituere. Tum qui in hunc vſum comparandi ſunt libri.

Poſtremus vero ſeu liber Tertius continet Chriſtianæ Pietatis quoddam veluti tirocinium, hoc eſt, certam quandam exercendæ pietatis rationem, ſeu potius (vt Medici dicunt) Practicam, quam, vt cuiuis ætati congruentem poſsimus facilius accommodare, eandem ferè

methodum hic retinebimus, quam ſecuti ſumus libro ſecundo. Nam Scholæ totius Iuuentutem in certas denuo Claſſes diſtinguemus, oſtenſuri in earum ſingulis, quid ipſis feſtis diebus ſoli pietatis ſtudio exercitioque deſtinatis, Iuuentuti Scholaſticæ ſit enarrãdum, tum etiam quibus modis iam inde à primis annis ſit exercenda, vt ad omnium ſtudiorum Scopum, hoc eſt, ad vitam illam beatam & immortalem expeditius ac certius pertingere poſſit.

Per quos collapſa Religio & Reſp. Chriſtiana, ſit potiſsimùm inſtauranda.

Inter omnes mortaliũ actiones præ ceteris inſignes, ea demum ſingularis, omniumque longè præſtantiſſima exiſtimanda eſt, qua Dei laus ac honor plurimum promouetur, ac ſimul animarum ſalus in proximis noſtris procuratur, hoc quidem adeo certum, adeoque indubitatum eſt, vt à nullo, niſi rationis experte, negari queat, poſſentque in eam rẽ & multa, & grauia adduci exempla: ſed maius vel luculentius nullum, quam ipſius Chriſti Domini: qui cum mundi exiſteret fabricator ac vniuerſorum Dominus, dignatus eſt miro quodam caritatis incendio, imbecillem ac miſeram mortalium naturam aſſumere, crudeliſſimamque & iniquiſſimam Crucis ſubire mortem, vt illas immẽſas & immortales diuitias, ob crimen primi parentis deperditas, propria ſua vita redimeret, hominemque è paradiſo eiectũ, ac cælo excluſum ad cælum ipſum reuocaret.

Quod vel ſolum Chriſti exemplum, omiſſis interim

pæne infinitis Scripturæ ſacræ teſtimonijs commouere poſſet ac deberet omnes homines, vt quantum animo conniti, viribuſque contendere quiſque poteſt, tantum libẽter & alacriter quoque adlaboret, vt ſalutis animarum negocium præ ceteris hominum neceſſitatibus ſedulo procuret ac promoueat.

Atque iſtud, quod diximus, cum ſpectet ad omnes Chriſtianos, vnicuique enim, *vt ait Scriptura,* mandauit Deus de proximo: *Tres tamen ſunt hominum ordines, qui ad Dei honorem, & animarum ſalutẽ promouendum, ex peculiari officio aſtringuntur, qui ſi rectè munere ſuo perfungantur, quæ nunc in Eccleſia, & Rep. Chriſtiana conuulſa ſunt; & ſedibus ſuis longè lateque deturbata, facilè queãt omnia ſarciri, priſtinoque ſuo loco cõgruenter ac decorè reſtitui. Ludimagiſtri nimirum, Eccleſiarum Paſtores, & vterque Magiſtratus Eccleſiaſticus & Politicus.*

Vbi enim à primis illis rudis pueritiæ formatoribus firmum ac ſolidum iactum fuerit Chriſtianæ Pietatis fundamentum, quod eſt præcipuum Chriſtianæ pueritiæ Præceptorum munus ac officiũ, Paſtores, quæ ad operis perfectionem pertinent, non difficulter ſuperſtruxerint, eademque vnà cum ipſo Magiſtratu tecta ac ſarta, quod dicimus, perpetuo conſeruarint.

Ceterum quæ vera ſit functio Paſtorũ, & vtriuſque Magiſtratus, ne quid hic ſutor vltra crepidam, dicant alij. Non illud huius noſtri eſt inſtituti, vt qui de recta puerorũ educatione, atque in omni officio pietatis exer-

citatione, dicere hoc loco inſtituimus: qua in re vt ordini congruenti procedamus, cauſſa eſt principio inueſtiganda, ob quam nunc paßim in ſcholis ita frigeant litterarum ſimul & Pietatis ſtudia, qua cognita, inquirendum deinde idoneum aliquod huic malo remediũ, quo & ſtudia facile inſtaurari poſſe videantur, ac ſperari præterea poßit firmum aliquod Chriſtianæ Reip. fundamentum, quod accedente Paſtorum & vtriuſque Magiſtratus cura, labore, & vigilantia, in decorum & abſolutum conſurget ædificium.

De Ludimagiſtrorum delictis, & cauſſa frigentium nunc paſsim ſtudiorum.

Cauſſa, ob quam nunc paßim Scholæ deſertæ ſint, aut ſolito plus frigeant, ſtudioſius eam inquirenti, ſtatim offertur obuia, cognoſciturque potißimum conſiſtere in ipſis ſcilicet Præceptoribus, ac proxima in eorũ Diſcipulis. De quo nunc ordine nobis diſſerendum.

Præceptorum *igitur graue delictum, & negligentiam pæne intolerandam, facile cognorit, qui teſtimoniũ vel vulgi ipſius requiſierit, audieritque quotidianas ipſius de Preceptorum negligentia querimonias, quarum, quod ſummè dolendum, omnia pæne loca nunc adeo plena ſunt, vt ſtatim atque in Scholarum ſermonem incideris, huiuſmodi aliquam querelam à plebe ac vulgo frequenter audias.*

Scholæ noſtræ ſtudia nunc prorſus frigent, Iuuentute nihil indoctius aut diſſolutius, Magiſtro eorum nihil vnquam vidi negligentius, qui rem magis procurat cu-

linariam, quam ſcholaſticam. Nunc huc, nunc illuc curſitat: vbi ſpes vel exigui affulget lucelli, Ægrotantium conficit teſtamenta, aut ſcribendis codicillis, cauſidicis ſeruit & aduocatis, multisque adhæc alijs negocijs diſtinetur, ex quibus vberior nummorũ quæſtus ab eo ſperatur, quam ex inſtitutione puerorum.

Alium vero luſui magis addictum aiunt, quam inſtituendis diſcipulis, vt qui ſe crebrò vel pila palmaria, vel torquendis globis, aut ſagittis in ſcopum emittendis exerceat, vel certè ocioſus ſpectator ludentibus aſsiſtat: Nonnũquam aut aleam iaciat cum ſodali, teratque diligentius in fritillo orbiculos, quam in muſeo vel ſchola librorum folia.

Eſt qui cum lepido congerrone in artificis alicuius officina gaudeat miſcere fabulas, vel in mœnibus, pratis, hortis, aut foro obambulare, rumores inquirat nouos de bello Turcico vel Gallico, deque inſtauratis nuper Geuſiorum aut Hugoniſtarum motibus; quibus cõmemorandis hora frequenter ipſi elabitur, quæ eſurientibus in Schola paruulis, quibus Propheta teſte, non eſt qui panem frangat, impendi debebat.

Atque, vt eos omittam interim, qui ſic amoribus implicãtur, vt de litterarum vel pietatis profectu rarò fortaſsis cogitent, habeantque mentem à ſcholæ ſtudiorumq; negotijs prorſus auerſam.

Sunt nõ pauci quibus heſternæ comeſſationis edormienda ſit poſtridie crapula, quique à prãdijs ſæpe longius protractis ſero ac multo poſt horam ingreſsi ludũ,

nihil aliud quam cum magno puerorũ offendiculo, verbis verberibusq́ue in illos ipſos deſæuiũt, bacchicumq́ue ſuum furorem turpiter in tirones innoxios euomunt.

Sunt alij ingenio paulo mitiore, qui vbi à menſa in ludum progreßi pauliſper conſederunt, obdormiſcunt, ſtertuntq́ue interdũ, ac ronchos ducunt, iam facti etiam ludibrium vniuerſæ iuuentuti.

Superioribus leuius peccare dixerim: ſed tamen peccare, quod ſtatis quidem horis ludum adeant, ſed ingreßi meliorem præſentis horæ partem tribuunt alij iocis, ſalibus, aut narrandis fabulis vel rebus nihili.

Alij, quos his grauius peccare dixeris, iurgijs, & odioſis contentionibus, dum abſentiũ, & ſero in ſcholam venientium catalogus recitatur. Alij quoque, nugis, aut iucundis fabulis ipſam lectionis expoſitionem ſuauiter quidem; ſed non ſine graui iactura ſtudiorum, condire gaudent.

Sunt rurſus nonnulli, quibus non deſit in inſtituendo fides, ac diligentia, ſed induſtria, probataq́ue & congruens docẽdi ratio, qui abſque fine vllo ac modo, Grãmaticorum Præceptiones ita perpetuò inculcant, vt poſt totos tres annos in ijs conſumptos, vix quidquam Scriptorum veterum pueris adhuc propoſuerint.

Sunt qui contra, Grammaticorum præceptis vix à limine, quod dicunt, ſalutatis, tenellæ adhuc ætati obijciant ſtatim magnorum ac illuſtrium veterum Scriptorum libros, Ciceronis, Terentij, Virgilij, Cæſaris, aut Saluſtij, quos ita crepent, vt vbi in eo ſtudiorum genere

triennium iam totum triuerint, puer hoc demum tum conſecutus ſit, vt Præceptorum Grammaticæ præſidio deſtitutus, ſentẽtiam vix vnã aut alterã, ſine ſoloeciſmi metu Latine proferre audeat, aut poßit.

Poſtremò vt hunc tandem locum concludamus, reperias nonnullos etiam; in quibus nihil deſideres aliud, quàm quod Grammatices Præcepta ſtatim omnia ſine vllo delectu ediſcenda pueris proponant, nec neceſſaria à non neceſſarijs, aut faciliora à difficilibus diſtinguant aut ſeparent, quo fit non rarò, vt tenellæ adhuc puerorũ vires grauiore ſibi onere impoſito, quam ferre queant, obruantur ac ſuccumbant.

Sic in enarrandis optimis quibusque veterum ſcriptorum libris hoc nomine peccare videntur aliqui, quod eos quidem puro, aperto, ac perſpicuo ſermone interpretantur: ſed vim, proprietatem, ac verum latinarum vocum vſum nullum commonſtrant, nec elegantiores loquendi phraſes vllas oſtendunt, aut pueris proponunt imitandas; Vnde fit vt horum auditores, nec Latinè loquendo, nec ſcribendo, aut cõponendo, poßint multum progredi, quod duce careant, & viæ ad Muſas commonſtratore; Atque hactenus de Peccatis Magiſtrorum magis in ipſis perſpicuis generatim à nobis dictum ſit.

De varijs Diſcipulorum delictis.

Reliquum nunc eſt videre contra, qui mores ſint, quæ diſciplina aut Inſtitutio Diſcipulorum, vt in vtriſque malorum genere & cauſſa probè perſpectis, accommodatiora remedia his adhibere liceat. Oſtenſuri igitur ne-

gle&ctam Diſcipulorum diſciplinam, incipiemus à locis ſacris, quæ Diuini cultus ac pietatis in ipſis exercendæ ſunt veluti quædam officinæ: ſed res eo, prò dolor, nunc ferme deuenit, vt obſtupeſcas admiratione, ſi conſideres, quantus in his ipſis deuotionis, vt dicimus, atque omnis omnino pietatis neglectus ſit, quanta ceremoniarum & Eccleſiaſticorum rituum ignoratio, quàm ibi nulla præſentis Dei conſideratio vel cogitatio.

In ea conueniunt, quaſi ad mundana quædam ſpectacula, nihil fere minus quàm præſentiam Dei Opt. Max. in ijs locis cogitantes, planè deſides, ſtupidi, inſolentes, luſuiq́ue aut fabulis deditі: Nam ſi qui fuerint in his ceteris modeſtiores, ecquid illi quæſo? dormitant, ſomniant, torpent, aut certè nihil agunt aliud, quam rebus præſentibus ibi paſcãt oculos, vt ille optimus Diſcipulorum omniumq́ue in Deũ pientiſſimus exiſtimetur, qui ſe in templo nihil egiſſe dixerit. Quis hic cum Tragicis non exclamet, O tempora! O mores! ſed audiamus reliqua.

Nullus vel rarùs admodum libellorum nunc vſus eſt, quibus ſacræ Preces contineantur. Spherulæ vero precatoriæ, quæ Roſaria à noſtris appellantur, quibus Maiores noſtri religioſè ac multum vti conſueuerunt, vt alia id genus pleraque, à quibuſdam nunquam vel raro vſurpantur, quid dico? Immo riſui aut cõtemptui habentur potius, quam vlli vſui; Quid multis? nunc eo inſcitiæ deuenimus, vt ſi quem roges ex iſtis, quid in tẽplo, quid in ſacra Concione egerit, quid didicerit; quaſi

mutus is ilico obſtupeſcat, aut eloqui præ magno pudore nihil audeat. At id quamobrem? dicam quod res eſt, libere & ingenuè, quod ad huiuſmodi à Didaſcalis ipſis non inſtituantur, non excitentur, & compellantur, quiq; bene dicere & loqui fortaſſe doceant, ſed nō rectè facere, & quaſi arborum flores colligūt & folia, ſed nulla tanguntur cupiditate fructuum. O præpoſteram Catonum ſapientiam.

Ingrediamur nunc etiam parentum ædes, & perſpiciamus quanta in ijs morum inciuilitas, quem ibi nulla lex, nulla honeſta diſciplina, nulla rectè viuendi norma vel regula, Contra vero quàm ibi abſurda, inepta, & praua colloquia, quam illiberales luſus, & laſciuæ voluptates. Quid iam in ipſis plateis & vicis? quanta ibi curſitatio, quantus clamor & cachinnus, quam inepta garrulitas, quam indecora morum inſolentia, quanta & quam multa proximorū offendicula. Quin vel vultum iſtorum cōtemplare, videbis inuerecūdum, inconſtantem, proteruum, elatum ſupercilium, licentes oculos, & ſingula quæque moribus appoſitè reſpondere. Omitto nunc interim quid in ſeceſſibus agatur, vel cubiculis, quam ibi nullum quoque veræ pietatis teſtimonium, nullum timoris Domini vel minimum documentum, nullaque præſentis ibi Dei & Angelorum conſideratio.

Quid quæſo Scholas huiuſmodi iam eſſe dicas aliud, quam omnis nequitiæ & flagitiorum officinas, ac veluti malorum lernas, in quibus pueri iam inde à teneris pro Chriſto & pietate diſcant mentiri, rixari, fallere,

mutuiſque ſe verbis verberibuſque laceſſere, iurare nõnunquam, & peierare, & his etiam fortaßis nequiora; tempus enim me deficiat citius quam argumentum, & Lectori longi ſermonis tædio moleſtior ſim, ſi pergam in cœptis commemorare cetera:

Abrumpam igitur, & hoc tantum dixerim omnem ferme huiuſcemodi morum inſolentiam ac diſſolutionẽ, qua vel multis æthnicis, poßimus videri inferiores, conferendam eſſe (liceat id modo dicere pace omniũ) in ipſos Scholarum magiſtros, quorum officium erat, ætatem illam rudiorem primùm de his omnibus rectè erudire, & quæ tradiderunt, vt ab omnibus fideliter obſeruentur, procurare: quid enim conferat in morbo corporis, bonum ac ſalutare pharmacum ægrotanti præſcripſiſſe, ſi is recuſet vti, aut iam ſumptum, ſtatim euomat? Sic vanus ac inutilis eſt labor omnis præceptoris, ſi in ipſis diſcipulis nullus bonæ inſtitutionis fructus eluceat. Vt igitur neglecta omnia ſarciantur, & tam Præceptores, quam Diſcipuli probè ſuo munere defungantur, oſtendendum quibus rebus, & hi & illi præditi eſſe debeant, quæque ſingulorum munera ſunt atque officia.

Quibus præditũ eſſe oporteat Ludimagiſtrum & quod præcipuum eius officium.

Principio apud omnes illud conſtat, nullũ vnquam naſci artificem; ſed omnes qui velint artẽ quamcunque diſcere, egere perito illius artis magiſtro, qui Præceptiones eius proponat ac explanet, quique viam cõmonſtret expeditã, qua ad perfectam illius ſcientiam, quam mi-

nimo labore peruenire liceat, Age igitur dicamus primùm de Ludimagiſtri qualitate, eiuſque in hac Inſtitutione quotidiano officio. Tum de ipſius diſcipulis, & mutua eorum opera & ſtudio, Poſtremò vero commonſtrandũ in quibus rectè docẽdi ratio potiſſimũ conſiſtat.

Primùm *igitur omnium in vtili deligendo Pædonomo ſeu puerorum Inſtitutore ſpectandum, vt is duntaxat Scholis præficiatur qui ſit Catholicus, nulliſque inbutus opinionibus à Religione Catholica alienis, ne qui prima Chriſtianæ Fidei & Religionis orthodoxæ iacere debeat fundamenta, prauis ac falſis ſtatim imbuat inficiatque mentem pueri ſinceram adhuc & illibatam, de Fide perſuaſionibus, quo nihil exitialius, nihil pernicioſius, ne cogitari quidem quidquam poteſt: cum ſine fide vera & Catholica impoſſibile ſit placere Deo.*

In primis igitur aduigilare debent Eccleſiarum Præſules & Paſtores, & cùm his vnà Magiſtratus Politicus, vt ad hanc tam vtilẽ Reip. functionem, ex qua Religionis Catholicæque fidei conſeruatio atque totius ferme Reip. ſalus dependet, nulli vnquam admittantur, qui non prius Fidem ſuam & Religionem, vitæq; totius probitatem certis teſtimonijs comprobarint, & ſimul vbi vixerint, quid egerint, & à quibus ſint inſtituti, docuerint. Quod ad Catholicæ Religionis vbiquo fere gentium labefactatæ inſtaurationem & conſeruationem, ante omnia neceſſarium eſt, atque olim à Iudæis & Græcis obſeruatum, Hiſtoriæ veterum conteſtantur.

Et vt multas Pontificum & Imperatorum conſtitutiones ac decreta hac ſuper re hic omittamus, etiam Prouincialis Synodus Mechlinienſis ſuperiori anno CIↃ. IↃ. LXX. *celebrata, cap. 2. de Scholis, his verbis apertè decreuit & ſtatuit.* Scholis tantum præficiantur Præceptores probè examinati, & qui Fidei ſuæ, integram Profeſsionem fecerint. *Quod quidem edictum, vt religiosè ac ſtrictè vbique locorum conſeruetur, intereſt plurimum omnium hominum & totius Reip. Chriſtianæ, ne fortaſsis nobis quoque eueniat quod Germaniæ, quam hanc vnicam fere peſtem euertiſſe ſcribit Iacobus Gueras, quod Iuuentus malis ludi litterarij magiſtris tradatur, à quibus hæretici cogantur fieri, antequam ſint verè Chriſtiani.*

Huc etiam pertinet, vt non ſolum Catholicus ſit, ſed etiam vir bonus moribusque omnino probatis ac incorruptis, quique ſuos non ſolum ſermone, ad pietatem prouocet, ſed etiam vitæ exemplo, quo tamquam ſigillo, doctrina ſana confirmatur. Nam cum omnium Diſcipulorum oculi, in Præceptorem ſuum, tamquam in ſpeculum, ex quo ſumant, quod imitentur, perpetuo coniecti ſint, fit ſanè vt Magiſtrorum virtutes & vitia in animos puerorum ſic influant, vt nulla vmquam ætate funditus queant euelli.

Neceſſe igitur omnino eſt, eos ab omni ſe vitio & turpitudine abſtinere, qui ſtudent alios meliores reddere, & bonas artes in puerorum animos cum

fructu aliquo & gloria transfundere, tales enim hi debent ſe gerere, vt veri Pietatis & Sapientiæ magiſtri, non inanis Scientiæ oſtentatores appareant. Nam vt ait Chryſoſt. Optima doctrina eſt docere vita, Verbis autem bene docere, & operibus doctrinam ſuam impugnare, multorum ſemper malorum in Eccleſia Dei cauſſa & origo fuit. Qui enim docent tantum, vt ait Lactantius, & non faciunt, ipſi Præceptis ſuis pondus detrahunt, quis enim, addit ipſe, obtemperet, quando ipſi Præceptores docent non obtemperare, bonum quidem eſt bona & honeſtá præcipere; ſed niſi & facias mendacium eſt, & incongruens atque ineptum non in pectore, ſed in labijs habere bonitatem, homines enim malunt exempla quam verba, quia loqui facile eſt, præſtare difficile. Sic refert Ruffinus Nazanzenum tanto cum fructu docuiſſe Conſtantinopoli, quod multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis, nec diſcipulis imperaret, quod prius ipſe non feciſſet. Et de Senone Stoicorum principe narrat Laertius, quod cum vitam verbis & doctrinæ conſentaneam velut exemplum diſcipulis proponeret, clariſſimos viros effecerit. Sed nunc ſatis, opinor, manifeſtum Doctorem omnibus Virtutibus exornatum eſſe debere, vt tam videndo, quam audiendo diſcipuli inſtruantur, Melius quippe eſt facere & non docere, quàm docere & non facere.

Neceſſarium igitur vt aliorum doctores, vitam ac mores ſuos bene componant, vt nimirum ipſo etiam habitu

bitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijsque rebus omnibus, nil niſi graue, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant, Sedulò vitent omnia, quibus diſcipulis eſſe poſſint offendiculo, luxum, comeſſationes, ebrietatem, choreas, aleas; magis enim, vti diximus, exempla docent quam verba, Et pueri vitia, quam virtutes, & mores malos, quam bonos ſæpius mutantur. Græca narrat hiſtoria Alexandrum Magnum potentiſſimum Regem, & in moribus, & in inceſſu Leonidis Pædagogi ſui non potuiſſe carere vitiis, quibus ad huc paruulus fuit infectus.

Meminiſſe debent Præceptores, ſe Diſcipulorum parentes eſſe, nihilque debere in ipſis videri, vel audiri, quod ſi fecerint aut imitentur Diſcipuli, peccent.

Quin & illud etiam huc pertinere dixerim, vt longe à menſis ſuis, familia, & ædibus arceant omnes, qui diſſolutis ſunt moribus, ſcurras, paraſitos, imperitè aut ſpurcè loquaces, moriones, nugatores, bibaces, aſotos, & id genus alios, qui caſtos puerorum animos ſeruilibus vitiis imbuant, memores illius, quod bene admonet poeta quidam æthnicus.

Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt, procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos.
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Secundo iam loco, *in litterarum magiſtro ac profeſ-*

profeſſore, ſpectanda eſt ipſa Scientia, vt nimirũ illius artis quam profitetur bene peritus ſit. Qui enim alterum docere cupit, ipſe indoctus, plus facile peccârit barbarie & exemplo, quam doctrina ſua attulerit. Nam Grammaticum ſe profeſſus quiſpiam, ſi barbarè loquatur; aut ſi abſurdè canat, qui ſe haberi velit muſicum, hoc turpior eſt, auctore Cicerone, quod in eo ipſo peccet, cuius profitetur ſcientiam. Preterea videmus eos qui ſermone vtuntur puro & emendato, plano ac perſpicuo, facilius auditorum animos ſuauitate ſermonis ſibi adiungere, citiusque quod velint perſuadere: Quæ res in pueris rectè & liberaliter inſtituendis, non omnino parum momenti habere perſpicitur. His adde quod obſcurior fere quiſque, quo indoctior, Ipſe etiam elementorum ſonus, & prima inſtitutio præceptorum, aliter de erudito, atque de ore ruſtico atque indocto profertur.

Ad Scientiam quoque pertinere exiſtimamus, vt commodam, aptam, & facilem ſequatur docẽdi rationem ac modum, quam Græci vocant methodum, ſcilicet, vt ordine puerili ætati & intelligẽtiæ congruenti, primas Grammaticæ Præceptiones breues, faciles, & ſolum neceſſarias proponat, easque ſermone dilucido & aperto diſcipulis explanet. Difficiliora vero omnia, quam vt ætas tenella capere, & prolixiora, quam memoriæ facile mandare poſſit, in tempus aliud his magis idoneum poſtponi debent.

Scitum eſt enim illud Horatij in arte Poëtica.

Ordinis hæc virtus erit & Venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici:
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

Aut ſi quid forte obſcurius inciderit, quod tamē prætermitti non poteſt, ſæpius repetendum eſt, vt Cicero, Hoc video, inquit, dum breuiter voluerim dicere, dictum à me obſcurius, ſed experiar & dicam, ſi potero, planius.

Idem plane eſt obſeruandum in ijs Scriptoribus, qui pueris ad imitandum primis his annis proponuntur, vt his ſcilicet ſolum vtilia proponantur, quæ latinis, perſpicuis, & illuſtribus verbis, diſcipulis explanentur, atque vtiliter in ijſdē exerceantur. Sed quoniam de his paulo inferius dicturi ſumus, hic illud duntaxat de Præceptionibus artium admonendum, dandam omnino eſſe operam, vt ea pueris prælegantur, quæ nec prolixitate ſua fatigent, nec breuitate obſcurent, quæque ſuauitate delectent, & faſtidio non imminuant diſcipulorum induſtriam: Sic enim futurum eſt, vt hæc ætas non doceatur ſolum, ſed etiam breui, facili, & ſuaui doceatur ratione: Nec enim difficilis aut moleſta ad artes liberales via eſt, ſi ad has dux obtingat viæ bene peritus: Immo expedita eſt ac facilis, nec etiā inamoena, ſi quis nactus ſit ducem bene induſtrium, commodum, ac facetum.

Tertio. *In primæ ætatis formatore hæc etiam virtus neceſſariò requiritur, quæ ſane ipſi plurimum conciliabit apud omnes, & gratiæ & auctoritatis.*

Amica

Amica videlicet & tēperata quædam ſeueritas, quæ diſcipulo non plus, quam par eſt, indulgeat, ne, dum in grauioribus malefactis, virgæ parcit & ferulæ, diſcipulis quod libet, impune ſibi etiam licere putet, & locum hic habeat, quod dixit Comicus: Deteriores omnes ſumus licentia. Nec contra tamquam rixoſus Demea, aut plagoſus quiſpiam Orbilius, expers omnis humanitatis, immodica ſeueritate ita deterreat à ſtudijs & ſcholis liberales puerorum animos, vt quæ amare debebant ſtudia & ipſum Præceptorem, iam malè odiſſe incipiant.

Catonem eſſe oportet Ludimagiſtrū; ſed amicum, humanum, & liberalem, quem & deceat aliquando riſus, ſed temperatus, qui grauitatem non imminuat, ſed ornet & commēdet, quiq́ue inter parū & nimium, quaſi medius norit conſiſtere. Cauendum proinde ipſi, ne quid paruulis, vt malè à quibuſdam fieri conſueuit, pueriliter aduletur, néue maiore aliqua, quam deceat, familiaritate cum Diſcipulis, elangueſcat ipſius imperium & auctoritas, quæ ad efficaciter aliquid præcipiendum Magiſtro prorſus eſt neceſſaria, quam doctrina, vitæ ſinceritate, humanitate, grauitate, ſanctaq́ue, virili, & aſſidua quadam diſciplina ſemper tueri debet.

Porro amicam hanc Seueritatem valde & in primis commendat, ſi Præceptor in diſcipulos affectum induat verè paternum, eoſq́ue non ſecus, quam ex ſe prognatos, filios propenſo & paterno amore proſequa-

tur. Qui enim alium docere conatur, quem non amat, vel etiam cui ipſemet eſt odio, bis ſtultè facere videtur, laborem inanem ipſe ſumit, & diſcipulo, quem docet, nihil affert, præter moleſtiam.

Quartum *quod in bono vtilique Ludimagiſtro ſpectari debet, eſt Diligētia, (Græci Philoponiam vocant,) cura & ſedula quædā ſolicitudo, quæ ſi deſint, nec ſcientia ſua, nec methodo, nec ceteris iam dictis virtutibus, diſcipulorum ſtudia multū queat promouere: Nec eſt cur ſperet aliquis, diſcipulos ſe vnquam habiturum ſtudioſos aut diligentes, qui ſit ipſe negligens, vt huc pertineat vulgo tritum prouerbiū. Qualis hera tales & pediſſequæ.*

Cum igitur oporteat, vt quales Diſcipulos ſuos Præceptor eſſe velit, talis ipſe prior exiſtat, neceſſe eſt, vt in eo appareat, & in oculis omnium puerorum verſentur Vigiliæ, Labores, Lectiones, Scriptiones, hoc eſt, vt ſumma ſtudiorū diligētia, aſsiduo labore, multa pietate, veſtitu denique, & cibo & potu, tamquam quotidianis & conſpicuis exemplis, adoleſcentes inſtitutioni ſuæ & fidei concreditos, ad labores itidem & ſtudia, ad pietatis exercitia, ad ſobrietatem & temperantiam inuitet, & languentes excitet. Afferat quotidie aliquid, tamquam ad filios bonus pater, quo teneras mentes refocillet, & nutriat. Conſideret ſubinde, quam auidè auiculæ implumes eſcam excipiant, quam diligenter parentes afferant, quam accuratè cuſtodiant ab inedia & fame, à pluuia & aëris iniuria,

ab inimicis beſtijs, & alijs incommodis. Vel harum exemplo Doctor Grammaticus diſcentium vtilitatibus nuſquam non ſeruiat, neceſſe eſt.

His adde, quod valde indignum fuerit, ſi Præceptores in munere tam neceſſario negligentes ac perfidi inueniantur, nec eandem fidem ad officium ſuum afferant, quam à Diſcipulorum paretibus, vel à magiſtratu in numerando expectant: Res hæc intellectu facilis eſt, tantũ eam meminiſſe velint, tãtaque ſubinde cogitatione mentis reuoluere præceptores.

Ad Præceptorum diligentiam ſpectat, vt ſemel auditas lectiones, frequenter à Diſcipulis repoſcat. Sic enim attentius omnia audiuntur, ac in memoria ſtudioſius conſeruantur. Inſpiciat ſæpe eorum libros num omnia quæ dictata ſunt, conſcripſerint, quæque per abſentiam fortaßis omiſſa fuerint, ante Sabbathum inſtaurarunt. Si vero Præceptoris ſtudio ac diligentiæ non reſponderit in Diſcipulis eruditionis incrementum, meminerit Deum piorum laborũ remuneratorem requirere ab ipſo docendi diligẽtiam, fidem & aßiduitatem non ſtudentium profectum, eumque ſingulis mercedem remuneraturum eſſe, non pro fructu ſtudiorũ, ſed pro impenſo labore, ſtudio, ac diligentia inſtituendi. Sic Chriſtus Dominus apud Matth. propoſita parabola ſeminãtis, diſcipulos docere voluit, ne quid animum deſpondeant, ſi non ipſorum auditores ſalutarem doctrinam reciperent, quando ipſi Domino ac magiſtro id accidiſſe cognoſcerent, quod inter-

ſpinas & lapides ſaluberrimum ſuũ ſemen proiecerit.

Huius igitur exemplo puerorum inſtitutor, diligenter quæ ſui ſunt officij, exequatur, nec propter Diſcipulorum negligentiam, aut ingenij ipſorum hebetudinem, in opere tam pio ſibi ceſſandum putet: præſertim cum è multis, vel pauci ſemper proficiant, Et qui initio tardiores aut indociles ferme videbantur, exercitatione multa ac cultu quotidiano corrigantur frequenter, vt ſi nõ ad ſummã illam eruditionis laudẽ perueniant, tamen vel ad ipſam pertingant mediocritatẽ. Quapropter tales nõ ſtatim relinquendi ſunt vel reijciendi, ſed patienter tolerandi, præſertim, ſi quod deeſt ingenij viribus, labore ac ſtudio penſare conẽtur.

Quintò ac poſtremò, *præficiendus eſt litterarum ſcholis, qui doceat in primis, ac fideliter pietatem, qua pueri ad veram Dei cognitionem atque honeſtatis ſtudium iam inde à teneris aſſueſiant: Nam malè agendi conſuetudo, vbi temporis progreſſu vires ceperit, & inualuerit, nulla vincitur admonitione, vt locum hic habeat ſentẽtia illa Fabiana: Frangas citius quam corrigas, quæ in prauum induruerũt. Hoc igitur boni Præceptoris officium ſit, in hoc incumbat totis animi viribus, vt velut Tobias aliquis, filiũ ſuum iam inde ab infantia doceat timere Deum, & ab omni peccato abſtinere, nullo non loco ac tempore in omnes intentus occaſiones aduigilet, vt vacuis puerorũ animis, doctrinam inſtillet veræ & catholicæ Religionis, & velut nouis plantulis inſerat Timorẽ Dei, qui hu-*

manæ ſalutis initium eſt, fons & origo ſcilicet omnis virtutis, quo tamquã freno in omni vita quis coercetur, ne prauas ſectetur animi ſui affectiones.

Nec eſt cur quiſquã de felici ſucceſſu in hac ætate diligẽter informanda deſperet, vel parũ confidat, etenim, vt aqua in areola digitũ ſequitur præcedentem: ſic ætas mollis ac tenera in vtramq; partẽ flexilis eſt, & quocunque duxeris, ſequitur. Quin & eo magis hæc Pietatis doctrina puris puerorũ mẽtibus eſt inſtillanda, quo mundi adhuc ab affectibus, Diuinam & cæleſtem doctrinam melius ipſi capiunt, quam corda immunda, & peccatorũ ſordibus inquinata, Abſcondiſti inquit Chriſtus, hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis, ac proinde idem alibi. Sinite, inquit, paruulos venire ad me, talium enim eſt Regnum cælorum.

Ceterũ, vt de Præceptoribus tandem finiamus, tales hos ipſos requirimus, in quibus hæ virtutes clarè eluceant. Catholicæ Fidei ſinceritas: & vitæ morũque probitas. Scientia vel Eruditio. Amica quædã Seueritas ſeu præcipiendi auctoritas, & docendi diligentia. Tum etiam vt quilibet puerilium ſtudiorum profectioni, priuato ſuo quæſtui longè anteponat, magiſq; ſemper conſideret, quid ex vſu puerorum docere debeat: quam vt ipſe magnorum auctorum interpres, doctuſque diſcipulorum magiſter, vel denique numeroſi Rector habeatur: & honorifice ab omnibus ſalutetur.

His vero inſtructus virtutibus Inſtitutor, det operam, vt quã nactus eſt Spartã diligenter adornet,

& in hac præclara prouincia non tam diuitias & honores, quam Iuuentutis ſalutẽ, ac per eam Chriſtianæ Reip. incolumitatem perpetuo ſpectet, rogetq́ quotidie Deum, vt qui ipſum ad hanc prouinciam deſtinauit, gratiam quoque largiatur, vt eandem cum fructu ad ipſius laudem & gloriam, & diſcipulorum ſalutem adminiſtret, Sed de Præceptoribus hactenus, nunc de ipſis Diſcipulis, & eorum officijs agamus.

De Diſcipulis & eorum officijs.

Principio vbi Diſcipulus, annos quinq; ſex, vel ſeptem natus, quos vt præuerti non debet eorum inſtitutio, ſic diutius quoque non debet differri, à parentibus magiſtro traditus eſt, conſiderandæ in eo ſunt ingenij ipſius qualitates, animiq́ue natiuæ quædam propenſiones; nec enim eodem omnes vel ingenio ſunt, vel eadem animi natura ac indole. Sed ſicut in corporibus ipſis magnæ diſsimilitudines ſunt; ſic etiã in ipſis animis maiores inuenias varietates, quas diſpicere oportet primæ ætatis formatorem, certumq́ue ex ijs facere delectum ſtudiorum.

Nam videas nonnullos valere memoria, ſed tardè aliquid intelligẽtia aſſequi quod memoriæ mandatum eſt. Alios ad intelligendum excitatam habere naturam, ſed fragili ac futili memoria præditos, à quibus non eadem, quæ à ceteris debent exigi, nec plura ijſdem ſunt imponenda, quam vires ingenij ferre queant, ne ſi immoderatè obruantur, velut anguſti oris vaſcula, ſuperfuſam humoris copiam reſpuant. Sæpe ingenium

latet, quod tempore & vſu excitatur, & magiſtri diligentia illuſtratur.

Sic videmus nonnullos, qui initio memoria nimis labili apparebant, diſciplina & multa exercitatione confirmari, quos ſi primum multitudine rerum oneraueris, aut deſertores fient ſtudiorum, aut ſerius eo perducentur, quò via ducti commodiore, ſine magno labore perueniſſent. Sunt rurſus alij, qui celeriter fatigantur, ſed multa breui aſſequuntur, Alij laborem ferre queunt, ſed quod poſſunt, aſſequi nolūt, Sunt qui non litterarum, ſed aliarum rerum ſtudijs magis oblectantur. Alij propter familiaritates, aut monitores domeſticos, induſtriam remittūt, & ſeſe corrumpi patiuntur. Alij propter deſidiam à ſtudijs abhorrent. Quidam imperia dedignantur, Quoſdam continet metus, quoſdam debilitat.

In quibus omnibus præceptor velut ſedulus & induſtrius artifex, diligentem dabit operam, vt cum his prudenter agat, ne ſtatim vel temere reijciat, quem initio parum videt docilem. Nam vt durum ſaxum egregiam ſculptoris formam aliquando reſpuit, niſi induſtria quadam & arte, aptisque ad hanc rem inſtrumentis polire norit: Ita humanus animus initio ſæpe laboris adhuc impatiens, paulatim oneribus aſſueſcit, ſi primum leuiora impoſueris, & ingenium adhuc quaſi imbecillum, iucunda quadam feſtiuitate & manſuetudine tractes. Primum igitur admonitionibus, laudatione, & promiſſis ſtudium excitetur,

Obiurgatio quoq;, ſi opus eſſe videbitur, accedat. Nec à verberibus tandem abſtineatur antequam deſperetur, præſertim cum non omnes perfecti eſſe debeant, ſed ferantur & laudentur etiam mediocres.

Iam quod ad mores attinet, eſt ſanè in ijs corrigendis aſsidue, ſummoque ſtudio ac cura elaborandum, videmus enim quoſdam iam inde à paruulis mirè pronos ad peculiaria quædam vitia, vt hos ad mendacia, illos ad furta, nonnullos ineptè loquaces, contumelioſos, maledicos, facile iraſci, propenſos ad rixas & contentiones, ſubitoque interdũ & præcipiti quodam impetu ferri ad pugnas & ad verbera.

Omnia hæc, quoad fieri poteſt, bono modo, ac ratione ſuaui à magiſtro & moderatore perito notanda ac corrigenda ſunt, vt quo tenpore incipiũnt ſe proferre primùm, ac velut in lucem prodire futurorum vitiorum ſemina, accedat tum ſtatim velut prudẽtis agricolæ manus, quæ huiuſmodi Zizania ab ingenij puerilis agro, priuſquam altius radices agant, euellat ac amoueat. Sunt enim plerunque in pueris, quædam naturæ vitia, quæ inſtitutione curaque induſtrij Præceptoris facile queant emendari: Neglecta vero vſque in ætatem grandiorem, nulla arte vel induſtria curantur. Adeo verum eſt poëticum illud.

Principijs obſta, ſero medicina paratur.
Cum mala per longas conualuere moras.

Ceterũ vt boni medici nõ propinãt ægrotis omnibus ex eodẽ lebete, ſed pro morbi qualitate & conditione

ægroti, attẽperant ſua pharmaca: ſic & puerilis ætatis inſtitutor, diligẽter cõſiderabit in Diſcipulis cuiusque ingeniũ & animi propenſionẽ, vt iam probè perſpectis oĩbus, remedia adhibeat qualitati cuiusq; cõuenictia.

Si obiecerit forte quiſpiã illud multo vſu tritum Prouerbiũ, Non ex omni ligno fit Mercurius, ſic non quemuis à vitijs ad frugẽ reduci poſſe libens iſtuc fatebor, ac proinde admonendum hoc loco: Si qui tales fuerint, vt nulla hortatione, nullis promiſſis, nulla vel arte, vel Pædonomi induſtria ad diſciplinas excitari videbũtur, vt ſunt abſurdi, præpoſteri, præfracti, cõtumaces, impoſtores, irriſores, diſcordiarũ auctores, magiſtrorũq; ac legum ſcholaſticarũ contemptores, in quibus nullũ ſit verecundiæ, obedientiæ, aut diligẽtiæ indiciũ, quiq; rarò ad frugẽ aliquã, aut mediocris eruditionis laudẽ peruenire ſolent, adhæc qui aliorũ pacẽ, & in virtutibus progreſſum impediunt, nec caſtigati corrigũtur, nequaquã vel lucri gratia, vel, vt gregem augeant ſcholaſticũ, ſunt retinẽdi: ſed à proborũ & honeſtorũ grege ſunt ſegregandi, & parentibus humaniter reſtituendi, ne malorũ contubernio, meliores quoq; corrumpantur. Tũ etiam ne parẽtes ſua opinione fallãtur, pecuniamq;, & quod pecunia eſt precioſius ſimul tempus amittant, denique ne filij ad aliud vitæ genus ſerò, & cum dedecore interdũ accedere cogantur.

Sed hac in re grauiter à nonnullis peccatur, qui & ſine delectu quoſuis recipiunt, & quos nihil vmquam profecturos vident, vel propter ſtudiorũ negligẽtiam,

vel quod animũ gerant à ſtudijs prorſus alienũ; exigui tamen lucelli gratia tales complures etiam annos ſecum detinuerit, tempusque, cuius ſumptũ precioſiſſimum dixit Theophraſtus, & parentum ſudores apud ſe perdi patiuntur.

Quamobrem vt huic malo remedium aliquod adhibeatur, conſultum fuerit, vt parentes ipſi ſingulis annis filiorum ingenium, & in litteris progreſſum, per eruditos viros explorandum curent, ne & inutiles ipſi ſumptus faciant, aut filij contra naturam fruſtra luctentur. Sed de his nunc ſatis multa, nunc de Diſcipulorum officijs agamus.

Boni in primis Diſcipuli officium eſt, Præceptorem ſuum non ſecus ac parentem amare colere, ac venerari, eiusque vel monitis, vel iuſſis libẽter, vel alacriter obſequi, eundemque docentem attentè audire & auſcultare, audita diligenter repetere, vt memoriæ & imitationi tradi fideliter poſſint, & prorſus nihil quod ad Diſcipuli officium pertinet, negligere: Nam vt illorum officium eſt docere: ſic horum prebere ſe dociles, alioqui neutrum ſine altero ſufficit.

Prælectionibus taciti, modeſti, attentique intereſſe omnes debẽt, alacres ſemper & erecto corpore, non dormientes aut ſomnolenti, non oſcitabundi, non deſides ac in latus procumbentes. Sed cum nihil legendum vel ſcribendum eſt, Præceptorem ipſum prælegentem intueantur, cuius moderati geſtus, vultusque & mores altius in pectus imprimant.

De indicijs indolis obſeruandis.

Signa vero melioris indolis præcipiũtur à nonnullis huiuſmodi in pueris obſeruari.

Nuſquam verſari libentius quam in conſpectu ſui Præceptoris.

Vitare eorum conſuetudinem, quos credant obſore honeſtis moribus.

Præferre ſe nemini, nulli vmquam aduerſari, nullum laceſſere.

Si quem forte verbo vel facto læſerint, eidem ſtatim reconciliari.

Cauere ne quid indecorum, ineptum vel immodeſtum in ſe appareat.

Amore Virtutis potius, quam formidine pœnæ à malefactis abſtinere.

Cauere ne quid in facie, geſtu, ſtatu, vel inceſſu, odioſum, moleſtúmue appareat.

Cauere ne inuerecunda frons, elatum ſupercilium, licentes oculi, proteruior lingua in ſe notari poßit.

Præceptoris iuſſa vel monita, vel pro delicto pœnam iniunctam, humili & æquo animo perferre.

Signa aliquot futuræ Eruditionis & Probitatis.

Eruditionis vero ſigna præcipua notentur hæc tria.

Facile percipere quæ traduntur.

Fideliter eadem continere.

Eademq́ue feliciter imitari.

Primum eſt, perſpicacis animi.

Secundum eſt, fidæ memoriæ.

Tertium eſt, aſſiduæ exercitationis.

His adde.

Pudere ab alijs ſuperari.

Contendere alios præuertere.

Cum nullo certamen habere niſi de litteris.

Doctioribus ſe libenter adiungere ſocios.

Emendatos non iraſci: Laudatos gaudere.

Magiſtris dare operam non aſſiduam modo, ſed & alacrem.

Proferre ſua verba diſtinctè, clarè, & articulatè, non præcipitanter, nec hæſitando, vel palato inmurmurando.

De Diſcipulorum erga Magiſtros gratitudine.

Vnum porro eſt, quod hoc loco, quo agimus de Diſcipulorũ officijs, arbitramur ad ipſos magnopere etiã pertinere, vt nimirum erga ſuos Præceptores, qui ipſos Chriſtianam Pietatem & meliores litteras multo labore docuerunt, perpetuo quoque grati exiſtant, memores ſemper & agnoſcẽtes ſe non minus debere Magiſtris ſuis, hoc eſt parentibus animorum, quam ipſis parentibus corporum.

Memoratu digniſſimum eſt, quod legimus potentiſſimum illum orbis Monarcham Alexandrum Magnum ſolitum fuiſſe dicere, ſe plus debere Ariſtoteli, Præceptori ſuo, quam Philippo patri, quod hic

vt eſſet, ille, vt rectè quoque foret inſtitutus, auctor exiſteret;

Indicabat nimirum plus homini conferre, qui animum exornat, quem cum Angelis ipſis communem habemus, quam qui corpus gignat commune cum brutis animãtibus. Idẽ Stagirũ Præceptoris ſui patriam ob eius honorem in libertatem reſtituiſſe fertur.

M. Antonius Philoſophus Frontoni in Senatu ſtatuam petijt, Iunium Conſulem deſignauit, Proculum euexit ad Proconſulatum, Præceptorum imagines aureas in Lararium ſuum inferri voluit. Eorum ſepulcra hoſtijs quoque ac floribus honorans, auctore Iulio Capitolino.

Sic auorum memoria apud Italos, Laurentius Medices Leonis X. Pontificis Max. parens, Præceptorem ſuum Argiropilum magnis ornauit beneficijs. Alterum Marſilium Ficinum Philoſophum ac Medicum celeberrimũ vbere ac lato donauit agro. Aliũ rurſus Gentilem Vrbinatem Aretinorum Epiſcopum renunciari curauit.

Non multo poſt hunc tempore Carolus Quintus Romanorum Imp. princeps verè pius & Catholicus, vt eius habet elogium, Hadriano Vltraiectino Præceptori ſuo optimè de ſe merito Epiſcopatum Dertuſenſem in Hiſpania tribuendum curauit, quem eiuſdem Caroli rogatu Leo. X. Pont. Max. non multo poſt in Cardinalium collegium cooptauit.

Quæ gratiſſimorum Diſcipulorum exempla com-

mouere debent alios, vt ſi quid in poſterum per fortunæ benignitatem Præceptoribus ſuis commodare queant, non grauatè ſua in illos beneficia conferãt: quod cum ad excitandam Præceptorum induſtriam & diligentiam plurimum conducat, putaui hoc loco non prætermittendum. Sed de præceptoribus & Diſcipulis hæc ſufficiant, Reliquum nunc eſt vt oſtendamus in quibus conſiſtat bene docendi ratio.

De Præceptionibus artium.

Tota fere docendi ratio, vt etiam ſuperius obiter indicauimus, in his tribus potiſsimùm conſiſtit.

In Præceptionibus ipſarum Artium.

In libris ad imitandum propoſitis.

In quotidiana in his vtriſque exercitatione.

Ipſe ſiquidem Artium Præceptiones aditum nobis ad linguas aperiunt. Sed accedente Scriptorum lectione & Imitatione, & quotidiana Exercitatione ad exitum earum perueniutur.

Principio igitur, quod attinet ad ipſarum artium Præceptiones, tribus illæ rebus maximè cõmendãtur.

Videlicet { *Perſpicuitate.* *Breuitate.* *Certitudine.* }

Perſpicuitas *facit, vt à tenellis ac rudibus facile queant percipi.*

Breuitas, *vt ſæpius poſsint repeti & memoria facilius contineri.*

Certitudo, *vero ac veritas, vt quilibet tuto & vbiuis eas ſequi poſsit,*

Atque hæc in genere, nunc de iiſdem explicatius.

In tota docendi ratione conſilium Iuſtiniani Imperatoris maximè videtur comprobandum: ita videlicet Diſciplinas tradi poſſe commodiſſimè, ſi primo leui ac ſimplici via; poſt deinde diligentiſſima & exactiſſima interpretatione tradantur. Cauendumq́; ne initio rudem adhuc & infirmum animum ſtudioſi Tironis multitudine ac varietate oneremus.

In prima igitur Inſtitutione Grammatices, quæ veluti clauem gerit, & ianuam ad omnes diſciplinas liberales aperit, opus in primis eſt ordine, eoq́ue aperto & eleganti, qui videlicet prolixitate Tironum vires non fatiget, nec breuitate eorundem impediat intelligentiam: ſed ſuauitate quadam ſic delectet, vt non imminuat ſtudioſorum induſtriam: denique qui meliora deterioribus anteponat.

Quæ res, mirabile, quam illuſtret intelligentiam, & memoriam ſtabiliat, efficiatq́; vt adoleſcens nõ doceatur ſolum; ſed etiam breui, facili & ſuaui doceatur ratione. Immo vt ſtudium non videatur eſſe labor: ſed luſus potius & oblectamentum animi.

Proponi igitur debent tenellæ ætati, Præcepta non omnia: ſed facilima, communiſſima, & maximè neceſſaria, & ſine quibus ſequentia non queant intelligi: Non ſuperuacanea, vel à ſtudiorum ſcopo diuerſa, aut à puerilis ingenij captu aliena: eaq́; illuſtranda ſunt exemplis facilibus & perſpicuis, quæq́ue in ſermone & quotidiana vita elegantem habent vſum.

Sed de Grãmaticæ Præceptis rectè & vtiliter tradendis ſcripſimus paulo ſuſius in Præfationibus Etymologiæ & Syntaxeos noſtræ, in quibus hoc egimus, præter cetera, vt qui breuitate Præceptorũ delectatur, habeat eã cũ ſumma, ni fallor, perſpicuitate cõiunctam: At qui contra explicatione earũ longiore, longiorem ea ipſa non deſideret. Annotationibus nimirũ in fine adiunctis, ceu ſupplementis quibuſdam abunde omnia ſuggerentibus, quæ deſiderari poſſe videbãtur.

De Scriptoribus & Libris ad imitandum propoſitis.

Scriptores in qualibet Claſſe proponendi, ſint certi & electi, Diſcrepantia enim, & varietate, atq; nouitate lectionũ, nihil pernicioſius, turbãt enim ac diſtrahunt magis diſcentiũ ingenia ac animos, quam doceãt idq; non ſecus, quam ſi quis vno tempore, eodemq́; loco audierit ſtrepẽtes inter ſe & loquẽtes Lydos, Myſos, Boeotos, Atticos & Iones. Nã vt hic modicè intelligere tãdem oẽs poſſet, imitari tamẽ ſingulos ſeparatim nunquã queat, niſi diuino aliquo & ſingulari ingenio præditus foret. Conſiſtendũ igitur in paucis & electis, vt incipiẽtibus vnũ, proficientibus duos interpreteris: Ac ne ijdem forte per totũ annũ lecti, tædiũ pariant ac faſtidiũ, tẽporibus poterunt diuidi, vt alij hieme, alij æſtate, autũno, atq; vere, viciſſim recurrãt. Hac enim librorũ mutatione, diſcentiũ animi non parũ recreabũtur. Quẽadmodũ in cibis, quorũ ſubinde mutatiõe, et gaudet palatũ, & reficitur maximè ſtomachus.

Porro

Porro quod attinet ad Auctores ſeu Scriptores potius, qui pueris ad imitandũ rectè proponantur, duo ſunt, quæ vel maximè debent præcaueri: Vnum, ne quis Antiquitatis nimium admirator, in Catonis, Lucretij, Plauti, Apulei, & ſimiliũ lectione dureſcere velit, fiatq́; horridus totus vel obſcurus, dum, vt verbis hic vtar Flacci: Solus vult ſcire videri. Quæ mecum ignorat. Alterum, ne contra ſuauioribus recentiorum floſculis captus, voluptate praua deliniatur, adametque illud dicẽdi genus, quod quo facilius intellectu & imitatu eſt, eo quoq; puerilibus ingenijs conſueuit eſſe gratius.

Ergo vt ab his, ceu quibuſdã Latinæ linguæ crepundijs, puer nõ abſurdè fortaſſis auſpicabitur prima Latini ſermonis tirocinia: ita hinc ad veteres illos Latinitatis Coryphæos ac principes, qui perfecta illa Ciceronis ætate, vnà cum ipſa Roma dicendi gloria floruerunt, ſtatim tranſeundũ eſt: Quos vt quilibet ſtudeat imitari, & ſermonis ac ſtyli eorum elegantiam, virtutesq́; expremere, eosq́; ſibi reddere familiares, Inſtitutores frequenter Diſcipulos admonebunt.

Ceterum cum à nonnullis hac in re plurimum peccari conſtet, dum hic ea ſine vllo delectu pueris ſtatim obijcit, vnde barbariem citius, quam linguæ Latinæ puritatem à teneris imbibant: Ille vero quæ moribus noxia, puerosq́ue ſuapte natura, ad deteriora plus ſatis propenſos, ad nequitiam ac vitæ laſciuiam inuitant ac incitant, cuius quidem farinæ ſunt Poëtæ

plerique etiam veteres, quorum meminimus in Proſodia, cum de verborum delectu ageremus. Alius denique, quo nihil omnium pernicioſius, ea rudibus, ſimplicibus, & puris adhuc puerorũ animis inſtillat, quæ Chriſtianæ Religioni, Fideiq; Catholicæ & orthodoxæ aduerſantur, quæque ad ſeducẽdam in prauas opiniones Iuuentutem, plerumque etiam ſcripta exiſtimantur. Cuiuſmodi ſunt quorundam Grammaticæ, Dialecticæ, & Rhetoricæ Inſtitutiones, in quibus exempla ad corrumpendam Iuuentutem ex hæreticorum officinis petita ac allata ſunt. Quales ſunt etiam quorundam familiarium colloquiorum formulæ, ac nonnulla Chriſtianæ Pietatis, vt habet inſcriptio, pœmata: Quæ quidem omnia non immerito in Catalago librorum per Concilium Tridentinũ nuper edito, damnata ſunt.

Porro de cauenda Poëtarum quorundam, & librorũ hæreticorũ lectione dicemus nonnulla Claſſe. 3. lib. 2. de lectione priuata.

Hæc igitur, dum attentius perpenderemus, confidebamus Chriſtianæ puerorum inſtitutioni nos piè & vtiliter conſulturos, ſi in ſingulis Claſsibus certorum librorum Indicem proponeremus, ex quo quilibet, tum in artium ipſarum Inſtitutionibus, tum in ipſis Scriptoribus profanis, iuxta ac ſacris, deligere queat, quos ſine vllo morum, vitæque Chriſtianæ, vt ſperamus, offendiculo, cum magno ſtudiorum fructu pueris rectè interpretetur, quem equidem Librorum Indicem

conficiemus.

conficiemus, non ex ſolius noſtra ſententia iudicioque priuato: ſed ex eorum potiſſimũ, qui de rectè formandis puerorũ ſtudijs in nobilioribus Europæ regionibus Italia, Gallia, & Germania, Libellos, Chartas, aut Tabulas euulgarunt.

De quotidiana ſtudiorum exercitatione.

Hactenus de liberalium Artium Præceptis, & Scriptoribus, in quibus Præceptorum vſus commonſtretur, quantũ hic locus poſtulabat, breuiter, ſummatimque dictum ſit. Ceterum ſuperiora hæc duo ad comparandam Latinæ linguæ facultatem ſola non ſufficiunt: ſed ad ea accedat oportet, quotidiana ac diligens in his vtriſq; exercitatio, quæ in pueris rectè & vtiliter informandis caput eſt totius diſciplinæ, ignauiæ inimica, inſcitiæ hoſtis, omniſque moleſtiæ explicatrix: Nam ſine exercitatione, nec ſatis intelliguntur Præceptiones artium, nec diu hærere poſſunt mentibus. Pictor etſi multa legerit, audieritque de figurarum ratione, de coloribus &c. nunquam tamen inſignis euaſerit, niſi manum tabulæ admouerit, nec medicus futurus, nec muſicus, immo ne miles quidem, quamuis artis præcepta perceperit, quidquam magna laude dignum ſine vſu & exercitatione conſequi poteſt.

Porro ſub hac Scholaſtica Exercitatione tria videntur cõprehẽdenda. Repetitio, Diſputatio, & Compoſitio, quæ in puerilibus ſtudijs prouehendis tantum momenti habere experimur, vt eorum vtilitatem non facile poſſimus pro dignitate hic explicare, Pluribus

igitur & accuratius agemus de his in ſua quaque curia.

De ratione vero ſcitè & eleganter pingendi litteras, quod in ſcholis neglectum non oportet, dicturi ſumus in ordine ſeu Claſſe ſexta. Nunc de luſu gratiſſimo pueris exercitio nonnihil agemus, vbi prius de excitanda ſtudiorum voluptate, & loco ſtudijs conuenienti pauca huc adiecerimus.

De excitanda ſtudiorum voluptate.

Danda omnino eſt opera, quantum id poteſt fieri, vt ſcholaſtici cum voluptate diſtant, quod futurũ eſt, ſi non turbentur lectionum varietate, nec obtundantur earum vel multitudine, vel difficultate.

Deinde ſi materiæ non vtiles ſolum, ſed etiam gratæ proponantur.

Præterea ſi Latinæ linguæ vtilitas, eruditionisq́; dignitas frequenter illis proponantur, doceanturq́ue quod ſectatoribus ſuis Ariſtoteles inculcare ſolebat: Amaras quidem eſſe diſciplinarum radices; ſed tamē fructus producere ſuauiſsimos: Sunt quidem artium principia tetra ſatis, ac tironibus inſuauia: ſed vbi nonnihil in ijs proceſſerint, ſequitur quædam diſcendi voluptas inſatiabilis, cui etiam, vt Gellius ait, modum facere oporteat.

Adhæc ad excitanda puerorum ſtudia plurimùm conducit, ſi coram ſuis condiſcipulis, coram parentibus & amicis, laudibus ſubinde extollantur. Honos enim, vt eſt in prouerbio, alit artes,

omnesque ad ſtudia incenduntur gloria.

Poſtremo non parum conferet ad puerilia ſtudia promouendum, proponi diſcentibus virtutis & induſtriæ præmia, Iunioribus munuſcula, aut alia id genus illectamenta; Adultioribus à ſtudijs vacationes, ludendique vel deambulandi facultatem: Sic auctor eſt Volaterranus ex ſchola Verrij Grammatici Auguſti nepotum Præceptoris, quod diſciplinis præmium proponeret, quod auferet, qui cæteros dicendo ſcribendoq; ſuperaret, doctiſſimos viros prodijſſe.

In his vero præmijs percipiendis, ne quis forſan de facta ſibi iniuria conqueri poſſit, liceat inferioribus, ſtylo, oratione, & diſputatione cum victoribus concertare, redeatq; victus ſine dedecore ad ſuum locum, niſi fortè aliter magiſtro ipſi videatur.

Qui præmium acceperunt, admoneantur, operam dare, ne in proximo examine honorem perdant, Victi contra, ne iterum vincantur: ſed vt potius præcellant, dabunt operam. Singuli quoque iubeantur frequenter ad futurum examen multo ante diligenter ſeſe præparare.

De loco Studijs conuenienti.

His modis ad ſtudia iam incitatus generoſi ſpiritus adoleſcens, nõ ſolum ad publicas Magiſtri ſui lectiones ſummam afferet diligentiam: Sed quod reliquum eſt temporis ac otij à lectionibus Præceptoris, priuatis id ſtudijs contendet totum impertiri, de qui-

bus vtiliter inſtituendis agemus Claſſe quinta,& reliquis deinde ſequentibus.

Sed mota eſt à nonnullis quæſtiuncula, An nemora, horti, & prata, aptiora ſint ſtudijs puerorum, an cubicula eorum & muſea. Ad quam nihil aliud reſpondere viſum eſt, quam quod his verbis reſpondit vir multæ lectionis, & ſummæ diligentiæ Iacobus Middendorpius natione VVeſtphalus Officiorū Scholaſticorum lib. II. cap. XXV.

Vehementer, inquit, ediſcentem, ſcribentem, & meditantem, adiuuat ſilentium & ſeceſſus, nec tamen eorum ſententia probatur Fabio, qui aptiſsima credunt in hoc nemora & ſiluas, quod illa cæli libertas, locorumque amoenitas, ſublimem animum, & beatiorem ſpiritum parent, ipſe vero arbitratur ac iudicat, hæc animum auocare ab intentione ſuſcepti operis, ſiluarumque amoenitates, & præterlabētia flumina, & inſpirantes rimis arborum auras, auiumque cantus ad ſe trahere mentem, vt voluptas remittat potius cogitationem, quam intendat.

Melius vero Demoſthenem feciſſe ait, qui ſe in locum, ex quo nulla exaudiri vox, nihilque proſpici poſſet, recondebat, ne aliud legere mentē cogerent oculi. Dicit ergo non iſta conuenire, ſed ſilentium noctis, & clauſum cubiculum: Quæ ſi non ſemper habere poterunt, ſed obſtrepet aliquid, non tamen idcirco ceſſandum, ait, ſed repugnandū incommodis, & omnia quæ impediunt, vincat intentio, quæ ſi tota mente in opus

ipſum

ipſum dirigatur, nihil eorum quæ oculis auribusq́ue incurſant, ad animum poterit peruenire: Nam frequenter fortuita hoc cogitatio præſtat, vt obuios non videamus, & de itinere aberremus: non conſequeremur ergo idem, ſi & volucrimus: Minimè igitur indulgendum cauſsis deſidiæ; ſed vel in turba, itinere, conuiuijs faciet ſibi cogitatio ſecretum. Hactenus fere Middendorpius.

De Luſu & Studiorum remiſsione.

Concedenda eſt omnino pueris, ſtatis diebus aliqua ſtudiorum remiſsio, & laboris laxamentũ, vt alacriores ab eo ad exercitia ſcholaſtica reuertantur, quod non vtile modo, ſed etiam neceſſarium eſſe, hinc facile quiſque colligat, quod res omnino nulla ſit, quæ diu perferre poſsit continuum laborem, vt etiam quæ ſenſu & anima careant, ceu ſtirpes & agri, vim ſuam ſeruare nequeant, ni quiete alterna reficiantur. Ocium certè laboris condimentum eſt. Sicut enim corpus indigentia & repletione, ita animus remiſsione atque labore reficitur & conſeruatur. Et ſicut omnibus in rebus, tum maximè in ſtudijs nihil ſatietate & tædio periculoſius.

Vnde Lucianus Samoſatenſis lib. I. veræ Hiſt. Quod athletæ, inquit, frequenter faciunt, idem litterarum ſtudioſis fieri oportere, cenſeo, vt cum grauibus & ſerijs legendis defatigati fuerint, ad animi laxamentum aliquantiſper declinent, donec ad futurum labores robuſtiores vegetioresq́ue efficiantur, nec

minus ocium neceſſarium putamus litterarum ſtudioſis, quam ſit animæ currentis neceſſaria ſpiritus reciprocatio.

Quid quod lyram & arcum remittimus, quo tendi poßint melius, & notum eſt omnibus illud Ouidij.

Quod caret alterna requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaque membra leuat.

Et pueri luſus cupidiores Præceptoribus ſuis occinere conſueuerunt illud Fabij: Ingeniorum vigor moderato luſu excitatur.

Illud ex dictis igitur iam conſtet, puerorum animum ocio ſubinde eſſe recreandum, vt ad labores reddatur vegetior.

Puerorum Luſus ſit moderatus, nec iuſto crebrior, nec rarior.

Primum omnium hic ſequi debemus conſilium ipſius Ciceronis, qui iocis & ludis ita nos vult vti, vt ſomno & quiete, & tum demum, poſteaquam grauibus & ſerijs ſatisfactum eſt negotijs. Caueant proinde Præceptores, ne aut ſtudiorum odium pariat remißio negata: Aut ocij conſuetudinem, ſi fuerit nimio, moneantque ſubinde, quam exiguum tempus datum ſit vitæ hominis, & propterea ex illo non oportere multum decidi ad luſus & otia, vt quibus vtendum ceu medicina, quæ ſi fuerit moderata, affert frequenter ſanitatem, ſi vero nimia, corpus nõnunquam enecat.

Viderint inquam Pædonomi & ſcholarum magiſtri, vt hac in re ſatisfaciant, tum Diſcipulorum pa-

rentibus, tum ipſis Diſcipulis, Rogati interdum ab amicis, vt diſcipulis concedant ludẽdi copiam, non ſtatim ipſis acquieſcendũ, ſed potius in mentem reuocandum, ecquid diſcipulorum parentes fieri velint, num ratum gratumq́; ſint habituri, ſi ſciant filios ſuos hac praua Præceptorum indulgentia tam crebro à ſtudijs vacare, tantamq́ue & ſumptus, & temporis iacturam facere.

Adhæc cum mos peßimus multis in locis obtinuerit, vt præter ſtatos feriarum dies, habeant ſingulæ fere ſcholæ vacationes quaſdam, quas vulgo dicimus extra ordinarias, præceptorum facili permiſſu, & ſupina quadam de diſcipulorum profectu ſecuritate, introductas, quibus totus fere diſcipulorum grex extrudit aliquem perfrictæ frontis oratorem, qui exhibendo libellum ſupplicem, cum ampliſsimis aut potius vaniſsimis maioris in poſterum diligentiæ promiſsis remißionem ſtudiorum à præceptore extorqueat. Viderit tum etiam inſtitutor ne nimis facile ac crebro diſcipulorum votis annuat, cogitetq́, non quid in præſentia, ſed quid olim futurum ſit gratum diſcipulis. Nam eſt quidem in præſentia gratior magiſter, quo quiſque remißior. Sed tamen vtilior olim iudicabitur qui nunc diligentior, & minus remiſſus fuerit.

Puerorum Luſus, liberalis ſit & ingenuus.

Puerorum luſus vt moderati, ita quoque ingenui ac liberales vt ſint, neceſſe eſt, vt qui habeant honeſtatem cum iucunditate coniunctam, quales ſunt Tro-

chus, Pila, Globus, Curſus honeſtus & moderatus, & ſine periculo leſionis: Vitandi vero ſunt luſus omnes coniuncti cum aliquo periculo, vt Saltus, Luctatio, Dimicatio, Piſcatio, Natatio, & id genus ſimiles, in quibus ſpectator magis quam actor laudari cõſueuit, abſtq́ue longius à periculo. Vitandi adhæc ludi omnes ſumptuoſi, qui ſcilicet lucri, nõ animi gratia exercentur, item qui illiberales ſunt aut inhoneſti, vt luſus Aleæ, Chartarum, Chorearum, & aliæ huiuſmodi leuiſſimorum hominum exercitationes.

Meminerit vero puer dehoneſtari luſum petulantia, & obſcoenitate ſermonis, ſtulta geſticulatione, clamore multo, & nimia turba atq; inſolentia, dolo malo, rixis, & conuitijs. Contra vero honeſtari comitate, vigore animi, honeſta lætitia; ingenuè & legitimè ludendo; arte & virtute, non fraude vincendo.

Vinci ab alio æquo ferat animo, non contrahat vultum, nec in maledicta aut conuitia prorumpat. Et contra, ſi vicerit, non ſit inſolenter dicax, ſed comis, hilaris, facetus, citra omnem ſcurrilitatẽ & petulantiam: Immo vrbani colludionis erit, aliquoties de induſtria inferiori palmam concedere, vt ſit lætitia alternata. Quod idem hortatur verſiculus ille Catonianus, Vincere cum poſſis interdum cede ſodali.

Cum dies aut tempus nõ ſinet corpus luſu exerceri, obſiſtente videlicet vel pluuia, vel cæli aliqua grauitate, magno erunt oblectamento ſermocinationes feſtiuæ & ſuaues. Cuiuſmodi ſunt Fabellæ, Hiſtoriæ,

prouerbia, apophthegmata, & id genus narratiuncu-læ argutæ, facetæ, lepidæ, quæ ingenium ſimul & memoriam exerceant: Sed hoc tum diligenter agendum curandumque, vt colloquantur de rebus bonis, honeſtis, vtilibus, ſitque ſermo pudicus, verecundus, liberalis: non moroſus, non contentioſus: abſint rixæ, conuitia, & omnia probra, qui ſecus faxit, in hunc b.no modo animaduertendum eſt.

In luſu omnibus Latinè loquendum.

Latinè, dum ludunt, loquantur omnes, niſi aut infimæ, aut huic proximæ Claſſis fuerint, conſtituta ijs pœna, aut mulcta ex ratione ludi, qui ſermone vernaculo vſus fuerit.

Qui Syntaxeos præcepta iam didicerunt, non ſolum latino, ſed etiam puro & emendato ſermone paulatim aſſueſcant vti: Quò vt innitentur, aut potius ſuauiter compellantur, iubeatur interdum doctior aliquis, colludere indoctioribus, cui ea delegetur prouincia, vt ſolezizantem emendet primùm: Deinde recurrente barbarie, ipſum luſu pauliſper abire iubeat, donec alteri ſimili ratione victo poſſit iterum ſuccedere. Pari ratione ſuccedat, ſi quis ſpectatorũ ludentis ſolœciſimum emendauerit.

Sic in luſu Spherarum per annulum ferreum, curet magiſter, vt inæqualibus & globis, & volis certent, donec corrector emendando ſermonem ſolalis ſui, eius globum aut volam vicerit. In luſu Trochi, id ſit ſolœco ſupplicium, vt correctori ſuo citra bilem ſta-

tim permittat pauliſper verſare ſuo flagello vel funiculo turbinem.

His ſimilia excogitari queant plura alia, quibus multo plus ſæpe profeceris, quam ſi te infinitis pæne ſolœciſmis emendandis confeceris. Ceterum vt hac res melius procedat, neceſſe eſt, vt inter ludendum habeant Latinè loquendi phraſes proprijs verbis explicatas, cuiuſmodi reperias in Colloquijs Corn. Croci, aut etiam Ant. Siluij. fortaſſis, & plurium aliorum.

Pietatis & ſtudiorum quædam incitamenta.

Addam poſtremò, & hoc congiarij loco, cum Præceptoris monita pucrorum animis facile excidant: eiq; non ſemper integrum ſit, quod tamen optandum, diſcipulorum gregi aſſiduè adeſſe, & iuuentus à labore procliuior ſit ad otia, & quæuis alia, quam ad labores & negotia, nonnihil fortaſſe iuueris ludentium profectum, eoſque officij ſui commoneferis, ſi breuia quædam ſymbola, ſeu publica quædam virtutis & eruditionis monumēta, parietibus ſpheriſterij cures inſcribenda, quibus vel in medio luſu, Pietatis, Studijque litterarum moneantur habere rationem. Nec abs re fortaſſe fuerit, & ipſe ſuaſerim huiuſmodi etiam deſcribi in Cubiculis, in cœnaculo, item & in Schola, vt nuſquam non puerorum oculis obuerſentur. Sed vt quiuis, quid velim, intelligat, ſubijciam hoc loco huiuſcemodi Symbolorum aliquot exempla, quibus plura licebit adijcere, ac quaſi munere fungantur Præceptoris ipſis ſemper præſentis, & vnumquemque, quæ

ſui ſunt officij liberè admonentis.

Chriſtianæ Pietatis Symbola.

Scopus vitæ Chriſtus.

Amicus, ſed vſque ad aras.

Sit vita Comœdia.

Frenum in lingua.

Cuius pudebit, pigeat.

Nulla dies ſine linea.

Tempore nihil precioſius.

Antidotum vitæ Patientia.

Iniuria obliuione vlciſcenda.

Ne foris Argus, & domi Talpa.

Verecundia cuſtos Virtutum omnium.

Iracundiam qui vincit, hoſtem ſuperat maximum.

Quod prudentis opus? cum poſſit nolle nocere.

Quid ſtulti proprium? non poſſe & velle nocere.

Quænam ſumma boni? Mens quæ ſibi conſcia recti.

Initium ſapientiæ timor Domini.

Deum time, & mandata eius obſerua.

Si vis ad Vitam ingredi, ſerua Mandata.

Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita ſemper.

Dum tempus habemus, operemur bonum.

Nolite errare, quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.

Qui ſectatur otium, in egeſtate erit.

Væ homini per quem ſcandalum venit.

Teſtis iniquus non erit impunitus.

Perdes omnes qui loquuntur Mendacium.

Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

Dies

Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet.

Vnicuique mandauit Deus de proximo.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.

Qui dixerit fratri ſuo ſatue, reus erit gehennæ ignis.

Vita hominis eſt militia ſuper terram.

Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.

Regnũ cælorũ vim patitur, & violenti rapiũt illud.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonũ excidetur, & in ignem mittetur.

Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem, de eo in die Iudicij.

De Caſtigatione prudenter interdum adhibenda.

De Caſtigatione, qua prudentia adhiberi debeat diximus obiter Claſſe Septima libri tertij: Quæ licet ſufficere fortaſſe poſſunt: tamẽ cum nuper ludi cuiuſdam moderator, vir doctus, & in piſtrinis litterarijs diu multumque verſatus, pro ſua in me beneuolentia miſiſſet ad me hanc appendicem, viſa eſt mihi non indigna, quam hoc loco adiungerem.

Illud, inquit, inprimis meminiſſe oportet rudis pueritiæ formatorem, vt ab omni verbere manus abſtineat, dum intus iræ furor ſæuiens, mentem bonam exulare cogit: Nam mens iræ affectu perturbata, iudicium ſine ratione exaſperat, omneque quod furor ſuggerit, rectum putat: Vnde fit vt ſæpe plus in vindicta exigat, quam delictum commeruit: Differat igi-

tur Caſtigationem Præceptor, donec iræ impetus ſedatus fuerit. Exemplo ſit nobis eximius ille Plato, qui cum iraſceretur ſeruo cuidam ventri dedito: Abi, inquit, Seuſippe nepos hunc mulctaturus, ego enim ringor: Nec illud diſsimile, quod de quodam Tarentino apud Valerium Maximum legitur: Sumpſiſſem, inquit, à te ſupplicium, niſi tibi iratus eſſem. Maluit ille impunitum relinquere, quam per iram plus iuſto punire.

Quamobrem cum reſpoſtulabit irrogari verbera apud ſe prudenter primùm deliberet, vt pro delicti quantitate, & delinquētis perſonæ qualitate, hæc infligantur, idque zelo iuſtitiæ, non liuoris ſtimulo, cum temperata quadam ſeueritate, quam nimirum miſericordia comitetur. Nec alia prorſus ratione animaduertat in aliorum filios, quam ipſe proprium filiolum ab alio mulctari æquo ſit laturus animo. Cauendum in primis, ne quem pugnis, calcibus, ferula, aut baculis malè tractet, ne poſt in ore ſit omni populo, & clamitent indigniſsimè factum, cogaturque iam cum rubore prodire in publicum.

Meminerit inſuper hernioſos, ſurdaſtros, vlceroſos, puſillanimes, debiles, & ingenij ſtupidioris, non minori induſtria tractandos, quam peritiſsimus chirurgus quiſpiam tractet vulneratum, quem licet aliquoties obligatum exclamare præ dolore cogat, afflictum tamen futuræ ſanitatis ſpe ſolatur ac fulcit.

Poſt Caſtigationem vero hoc agendum Inſtitutori,

vt exuta parum ſua Catoniana, aut ferina potius ſeueritate, blandis quibuſdam luſibus aut laudibus puſillum tironis animum reuocet, ſecutus illud poëtæ carmen.

Sit licet in natos facies auſtera parentum,
Aequa tamē ſemper mēs eſt, & amica volūtas.

Sic enim fiet vt Diſcipulus Præceptorem boni patris loco habeat ac reuereatur potius, quā metuat nimiū.

Nec illud cenſeo prætereundum, expedire nonnunquam, vt de ſuo iure nonnihil concedat Didaſcalus, dum flagris aliquando poſthabitis, experiatur pudore ne & liberalitate (iuxta Comicum) ſatius ſit retinere liberos, quam metu. Vt enim alia frena alios equos domant, ita non vna via inconſultam ætatem regas: & vt nobilis equus vmbra virgæ regitur, ſic ignauus nec calcaribus concitari poteſt: Sic ſunt nonnulli generoſæ cuiuſdam indolis pueri, quibus aut verbulo, aut leuiore obiurgatiuncula, pudorem & dolorem incutias, & ſtatim ad lacrymas compellas: quos ſi ob leuius peccatum, (nec enim quoduis delictum puerorum cenſeri debet capitale) puta lectionis vnius ignorantiam, librum neglectum, altiorem ſomnū, veſtem pueriliter fœdatam, & his ſimilia, acrius putes caſtigandos, nonne puerilis animus, veluti iam fractus, à Præceptore, à Schola, & ab omni prorſus inſtitutione abhorreat?

Quocirca vbi huiuſmodi ſemel aut iterū Præceptor admonuerit, nec quidquam tamen admonitione promouerit,

mouerit, accedat iam pœna aliqua leuior, qua pudeſiat, vt miniſtrandæ menſæ, verrendi pauimenti, extergendi calceos diſcipuli diligentioris: aut, ſi libuerit, mulctandus vno aut altero nummulo: Et ne longius omnia proſequar: Sapientis erit Inſtitutoris ſimilia quædam pro ratione criminis excogitare, quibus & ſe ab aßiduitate flagrorum liberet: & tamē diſcentium pudori ſalutiq́ue conſulat: Fit enim creberrimè, vt hæc verecundum pueri animum non minus quam plagæ corrigant: Cum natura ita comparatum ſit, vt nemo generoſi animi æquius ferat, ſe ſeruilibus huiuſmodi laboribus premi.

Sunt porro & aliæ rationes, ob quas minus cōſultum videtur, cum pueriliter delinquentibus, quotidie virgis aut verberibus expoſtulare, hoc enim modo, & bona pars lectionis ſine fructu perit, & Præceptoris mens ſeu memoria ab inſtituto abducitur.

His adde quod interdum tirunculi truculentioribus ſpectaculis huiuſcemodi exterreantur, præſertim ſi crebra ſint, vt iam odiſſe incipiant, & Præceptorē & Scholam, & Studia.

Sed obiecerit fortaſſe quiſpiam: quid igitur? viſne vt diſcipulorū delictis vſque dißimulatis, aut remiſſis, auctoritas omnis & imperium intereat Magiſtrorum? Iſtuc ſane abſit. Nam, vt inquit Seneca, Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit; *Et notanda eſt inſignis illa ſapientißimi Regis Salomonis ſententia. Prouerb. 13.*

Qui parcit virgæ, odit filium. *Et cap.* 23. Noli ſubtrahere diſciplinam à puero: Si enim percuſſeris eum virga, non morietur; Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.

Ergo vt nihil omnino inconſultius exiſtimē, quam ad puerorum delicta conniuere, quod hinc ſumant plerique maiorem peccandi licentiam, ſi quod peccent, impune fore ſperent: ita nolim, vt quis auctoritatem omnem, & magiſterij dignitatem ſibi ſolis plagis comparandam exiſtimet. Ideoque optarim vt induſtrius ſtudiorum artifex prudēter prius delectu ingeniorum habito, in animum prorſus inducat, quod apud Comicum eſt: Duo cum idem faciunt ſæpe, vt poſſis dicere, hoc licet impune facere huic, illi non licet, non quod diſſimilis res ſit, ſed quod is qui facit. Quapropter ſi in eam indolem inciderit, quæ nō tam verbo, quàm verberibus corrigatur, ſumat, vt æquum eſt pœnas, ſed pares delicto, & peccante dignas, ne quis eum merito Phalaridis imperium exercere dicat.

Hæc autem admonuiſſe non ad prudentes manſuetosque doctores pertinet, qui ſibi ipſis imperare poſſunt ac norunt, ſed ad plagoſos, qui ſuo iudicio frequenter cæci, omnem diſcipulorum noxiam, ſupplicio ſtatim capitali plectendam cenſent. Atq; hactenus hæc ille fere, quibus adde, quæ Quintilianus admonet lib. I. cap. III. Cædi, inquit, Diſcipulos, quamquam id receptum ſit, minimè velim. Primum quia deforme

ac ſer-

ac ſeruile eſt, Deinde, cui mens eſt tam illiberalis, vt obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, vt peſſima quæque mancipia, durabitur. Poſtremò, quod ne opus quidem erit hac caſtigatione, ſi aſſiduus ſtudiorum exactor aſtiterit.

Caſtigatio à Diſcipulo non acerbè ferenda.

Iam & illud ſuperioribus adijciendum, ad Diſcipuli officium pertinere, vt animaduerſionem & caſtigationem delictorum æquo ferat animo, ſeque ſine vllo prorſus murmure ad meliora reduci ſinat. Nam, vt Salomon inquit, Qui diligit Diſciplinam, diligit Scientiam. Qui autem odit increpationem, inſipiens eſt. *Et rurſus.* Egeſtas & ignominia ei, qui deſerit Diſciplinam, Qui autem acquieſcit arguenti, glorificabitur. *Cum igitur & Magiſtrorum officium, & Diſcipulorum ſalus hoc poſtulent, vt qui honeſtis admonitionibus non acquieſcunt, acrioribus tum verbis, aut etiā verberibus caſtigentur: eumq́; facilius, iucundius, ac glorioſius ſit Præceptoribus docere Diſcipulos, quam caſtigare: ſpectat ſane ad intelligentes omnes, & bonæ indolis Diſcipulos, caſtigationem illatam non indignè aut acerbè ferre: ſed potius Magiſtris agendæ ſunt gratiæ, quod ipſos pene inuitos, tantis laboribus ac moleſtijs ad bonarum artium & virtutum ſtudia pertrahant.*

Qui tollit morbū corporis, licet acrioribus & amaris id agat pharmacis, ab ægroto diligitur tamē & afficitur beneficio: ergo quāto animus ipſe corpore præ-

ſtantior ac nobilior eſt, tanto quoque plura merebitur, qui curat ac ſanat vulnus animi: Adhæc pro corporis incolumitate reſtituenda ferrū patiemur & ignes, ſecari & vri nos ſuſtinebimus; ergo ab animorū medico etiam leuiora patienter ferre nos oportet. Turpe ſanè fuerit, qui corpore malè affecto ſunt, tantum medicis tribuere, vt ſeu ſecent, ſeu vrant Corpus, ipſos tamen amicos exiſtimēt, & ſummo amore proſequantur: & non eundem habere affectū erga ipſos qui curant animam. Certè quos delinquere non puduit, non decet offendi à magiſtro caſtigatos, vel admonitos.

Si vero, vt fieri poteſt, iniuſtè à Præceptoribus reprehendantur, æquum tamen eſt, vt intelligens Diſcipulus concedat nonnihil Præceptoris ætati, valetudini, negocijs, moleſtijs, & Inſtitutionis difficultati, memineritque quam viro bono moleſtum ſit, offendi per eos pro quorū ſalute tantos ſubire labores nō dedignatur, quibusq; tanto ſtudio & affectu rectè conſultū cupit, & de quibus hactenus tam præclarē meritus eſt.

De Diſciplina Nobilium.

Porro ſi quis forte ſciſcitetur, ecquid cū ipſa Nobilitate agendum arbitremur, num iiſdem ea legibus teneri debeat, eademq; ratione ac modo ſit inſtituēda, quo ceteri: Hunc nos legere iubemus libellos hoc argumentum peculiariter pertractantes, aut ſi quis breuitate fortaßis oblectetur, legat is cap. 30. lib. 1. Scholaſticorum Officiorum Middendorpij. Cui nos illud adiecerimus ipſam Chriſtianam pietatē cultumq;

& obſeruationem piarum legum ijs cum primis eſſe neceſſariam, qui Reip. præficientur, qui ſi impij fuerint, nō ſibi duntaxat, ſed etiam ciuibus ſuis, aut prouincialibus futuri ſunt exitio. Tales enim ciuitates & ipſæ prouinciæ eſſe ſolent, quales ſunt ipſorū Principum mores, quorum exempla maximè conſpicua, & quaſi in excelſo poſita, quilibet libenter imitatur, eademque fere ſuis vitijs prætexit, quaſi vel non indecora ſint, vel eorum exemplo & auctoritate permittantur. Adhæc præclarè docent Hiſtoriarum & Sacræ Scripturæ libri, plebem ipſam à Deo irato grauiſſimè plecti ſolitam, & pœnas luiſſe maximas pro malefactis & impietate ſuorum Principum: exemplo ſit vel vnus Pharao, cuius impietas quantis calamitatibus, ærumnis, & cædibus afflixit Ægyptum?

Cum igitur intelligimus Pietatem Nobilitati maximè omnium eſſe neceſſariam, facile quoque perſpicitur in erudienda Nobilitate, debere primùm omnium rationem veræ Pietatis haberi, tum etiam quanto ea labore, ſtudio, ac diligentia à primis annis inſtitui debeat, quamque arctis habenis & legibus, ne moribus ac vita diffluat, conſtringi: Quin & res ipſa docet, vt ignorantis non eſt alium docere, nec cadentis alium erigere, ita Principem non poſſe populum à malefactis coercere, ſi ipſe obnoxius iiſdem imperandi auctoritatem amiſerit.

minus ocium neceſſarium putamus litterarum ſtudioſis, quam ſit animæ currentis neceſſaria ſpiritus reciprocatio.

Quid quod lyram & arcum remittimus, quo tendi poſſint melius, & notum eſt omnibus illud Ouidij.

Quod caret alterna requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaque membra leuat.

Et pueri luſus cupidiores Præceptoribus ſuis occinere conſueuerunt illud Fabij: Ingeniorum vigor moderato luſu excitatur.

Illud ex dictis igitur iam conſtet, puerorum animum ocio ſubinde eſſe recreandum, vt ad labores reddatur vegetior.

Puerorum Luſus ſit moderatus, nec iuſto crebrior, nec rarior.

Primum omnium hic ſequi debemus conſilium ipſius Ciceronis, qui iocis & ludis ita nos vult vti, vt ſomno & quiete, & tum demum, poſteaquam grauibus & ſerijs ſatisfactum eſt negotijs. Caueant proinde Præceptores, ne aut ſtudiorum odium pariat remiſſio negata: Aut ocij conſuetudinem, ſi fuerit nimio, moneantque ſubinde, quam exiguum tempus datum ſit vitæ hominis, & propterea ex illo non oportere multum decidi ad luſus & otia, vt quibus vtendum ceu medicina, quæ ſi fuerit moderata, affert frequenter ſanitatem, ſi vero nimia, corpus nonnunquam enecat.

Viderint inquam Pædonomi & ſcholarum magiſtri, vt hac in re ſatisfaciant, tum Diſcipulorum pa-

rentibus, tum ipſis Diſcipulis, Rogati interdum ab amicis, vt diſcipulis concedant ludẽdi copiam, non ſtatim ipſis acquieſcendũ, ſed potius in mentem reuocandum, ecquid diſcipulorum parentes fieri velint, num ratum gratumq́; ſint habituri, ſi ſciant filios ſuos hac praua Præceptorum indulgentia tam crebro à ſtudijs vacare, tantamq́ue & ſumptus, & temporis iacturam facere.

Adhæc cum mos peſſimus multis in locis obtinuerit, vt præter ſtatos feriarum dies, habeant ſingulæ fere ſcholæ vacationes quaſdam, quas vulgo dicimus extra ordinarias, præceptorum facili permiſſu, & ſupina quadam de diſcipulorum profectu ſecuritate, introductas, quibus totus fere diſcipulorum grex extrudit aliquem perfrictæ frontis oratorem, qui exhibendo libellum ſupplicem, cum ampliſſimis aut potius vaniſſimis maioris in poſterum diligentiæ promiſſis remiſſionem ſtudiorum à præceptore extorqueat. Viderit tum etiam inſtitutor ne nimis facile ac crebro diſcipulorum votis annuat, cogitetq́, non quid in præſentia, ſed quid olim futurum ſit gratum diſcipulis. Nam eſt quidem in præſentia gratior magiſter, quo quiſque remiſſior. Sed tamen vtilior olim iudicabitur qui nunc diligentior, & minus remiſſus fuerit.

Puerorum Luſus, liberalis ſit & ingenuus.

Puerorum luſus vt moderati, ita quoque ingenui ac liberales vt ſint, neceſſe eſt, vt qui habeant honeſtatem cum iucunditate coniunctam, quales ſunt Tro-

chus, Pila, Globus, Curſus honeſtus & moderatus, & ſine periculo leſionis: Vitandi vero ſunt luſus omnes coniuncti cum aliquo periculo, vt Saltus, Luctatio, Dimicatio, Piſcatio, Natatio, & id genus ſimiles, in quibus ſpectator magis quam actor laudari cõſueuit, abſtíque longius à periculo. Vitandi adhæc ludi omnes ſumptuoſi, qui ſcilicet lucri, nõ animi gratia exercentur, item qui illiberales ſunt aut inhoneſti, vt luſus Aleæ, Chartarum, Chorearum, & aliæ huiuſmodi leuiſſimorum hominum exercitationes.

Meminerit vero puer dehoneſtari luſum petulantia, & obſcoenitate ſermonis, ſtulta geſticulatione, clamore multo, & nimia turba atq; inſolentia, dolo malo, rixis, & conuitijs. Contra vero honeſtari comitate, vigore animi, honeſta lætitia; ingenuè & legitimè ludendo; arte & virtute, non fraude vincendo.

Vinci ab alio æquo ferat animo, non contrahat vultum, nec in maledicta aut conuitia prorumpat. Et contra, ſi vicerit, non ſit inſolenter dicax, ſed comis, hilaris, facetus, citra omnem ſcurrilitatẽ & petulantiam: Immo vrbani colludionis erit, aliquoties de induſtria inferiori palmam concedere, vt ſit lætitia alternata. Quod idem hortatur verſiculus ille Catonianus, Vincere cum poſſis interdum cede ſodali.

Cum dies aut tempus nõ ſinet corpus luſu exerceri, obſiſtente videlicet vel pluuia, vel cæli aliqua grauitate, magno erunt oblectamento ſermocinationes feſtiuæ & ſuaues. Cuiuſmodi ſunt Fabellæ, Hiſtoriæ,

prouerbia, apophthegmata, & id genus narratiunculæ argutæ, facetæ, lepidæ, quæ ingenium ſimul & memoriam exerceant: Sed hoc tum diligenter agendum curandumque, vt colloquantur de rebus bonis, honeſtis, vtilibus, ſitque ſermo pudicus, verecundus, liberalis: non moroſus, non contentioſus: abſint rixæ, conuitia, & omnia probra, qui ſecus faxit, in hunc bono modo animaduertendum eſt.

In luſu omnibus Latinè loquendum.

Latinè, dum ludunt, loquantur omnes, niſi aut infimæ, aut huic proximæ Claßis fuerint, conſtituta ijs pœna, aut mulcta ex ratione ludi, qui ſermone vernaculo vſus fuerit.

Qui Syntaxeos præcepta iam didicerunt, non ſolum latino, ſed etiam puro & emendato ſermone paulatim aſſueſcant vti: Quò vt innitentur, aut potius ſuauiter compellantur, iubeatur interdum doctior aliquis, colludere indoctioribus, cui ea delegetur prouincia, vt ſolezizantem emendet primùm: Deinde recurrente barbarie, ipſum luſu pauliſper abire iubeat, donec alteri ſimili ratione victo poßit iterum ſuccedere. Pari ratione ſuccedat, ſi quis ſpectatorũ ludentis ſolœciſmum emendauerit.

Sic in luſu Spherarum per annulum ferreum, curet magiſter, vt inæqualibus & globis, & volis certent, donec corrector emendando ſermonem ſolalis ſui, eius globum aut volam vicerit. In luſu Trochi, id ſit ſolœco ſupplicium, vt correctori ſuo citra bilem ſta-

tim permittat paulisper verſare ſuo flagello vel funiculo turbinem.

His ſimilia excogitari queant plura alia, quibus multo plus ſæpe profeceris, quam ſi te infinitis pæne ſolœciſmis emendandis confeceris. Ceterum vt hæc res melius procedat, neceſſe eſt, vt inter ludendum habeant Latinè loquendi phraſes proprijs verbis explicatas, cuiuſmodi reperias in Colloquijs Corn. Croci, aut etiam Ant. Siluij. ſortaßis, & plurium aliorum.

Pietatis & ſtudiorum quædam incitamenta.

Addam poſtremò, & hoc congiarij loco, cum Præceptoris monita puerorum animis facile excidant: eiq́; non ſemper integrum ſit, quod tamen optandum, diſcipulorum gregi aßiduè adeſſe, & iuuentus à labore procliuior ſit ad otia, & quæuis alia, quam ad labores & negotia, nonnihil fortaſſe iuueris ludentium profectum, eosque officij ſui commoneferis, ſi breuia quædam ſymbola, ſeu publica quædam virtutis & eruditionis monumēta, parietibus ſpheriſterij cures inſcribenda, quibus vel in medio luſu, Pietatis, Studijq́ue litterarum moneantur habere rationem. Nec abs re fortaſſe fuerit, & ipſe ſuaſerim huiuſmodi etiam deſcribi in Cubiculis, in cœnaculo, item & in Schola, vt nuſquam non puerorum oculis obuerſentur. Sed vt quiuis, quid velim, intelligat, ſubijciam hoc loco huiuſcemodi Symbolorum aliquot exempla, quibus plura licebit adijcere, ac quaſi munere fungantur Præceptoris ipſis ſemper præſentis, & vnumquemque, quæ

ſui

ſui ſunt officij liberè admonentis.

Chriſtianæ Pietatis Symbola.

Scopus vitæ Chriſtus.
Amicus, ſed vſque ad aras.
Sit vita Comœdia.
Frenum in lingua.
Cuius pudebit, pigeat.
Nulla dies ſine linea.
Tempore nihil precioſius.
Antidotum vitæ Patientia.
Iniuria obliuione vlciſcenda.
Ne foris Argus, & domi Talpa.
Verecundia cuſtos Virtutum omnium.
Iracundiam qui vincit, hoſtem ſuperat maximum.
Quod prudentis opus? cum poßit nolle nocere.
Quid ſtulti proprium? non poſſe & velle nocere.
Quænam ſumma boni? Mens quæ ſibi conſcia recti.
Initium ſapientiæ timor Domini.
Deum time, & mandata eius obſerua.
Si vis ad Vitam ingredi, ſerua Mandata.
Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita ſemper.
Dum tempus habemus, operemur bonum.
Nolite errare, quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.
Qui ſectatur otium, in egeſtate erit.
Væ homini per quem ſcandalum venit.
Teſtis iniquus non erit impunitus.
Perdes omnes qui loquuntur Mendacium.
Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet.

Vnicuique mandauit Deus de proximo.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.

Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.

Vita hominis eſt militia ſuper terram.

Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.

Regnũ cælorũ vim patitur, & violenti rapiũt illud.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonũ excidetur, & in ignem mittetur.

Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem, de eo in die Iudicij.

De Caſtigatione prudenter interdum adhibenda.

De Caſtigatione, qua prudentia adhiberi debeat diximus obiter Claſſe Septima libri tertij: Quæ licet ſufficere fortaſſe poſſunt: tamẽ cum nuper ludi cuiuſdam moderator, vir doctus, & in piſtrinis litterarijs diu multumque verſatus, pro ſua in me beneuolentia miſiſſet ad me hanc appendicem, viſa eſt mihi non indigna, quam hoc loco adiungerem.

Illud, inquit, inprimis meminiſſe oportet rudis pueritiæ formatorem, vt ab omni verbere manus abſtineat, dum intus iræ furor ſæuiens, mentem bonam exulare cogit: Nam mens iræ affectu perturbata, iudicium ſine ratione exaſperat, omneque quod furor ſuggerit, rectum putat: Vnde fit vt ſæpe plus in vindicta exigat, quam delictum commeruit: Differat igitur

tur Caſtigationem Præceptor, donec iræ impetus ſedatus fuerit. Exemplo ſit nobis eximius ille Plato, qui cum iraſceretur ſeruo cuidam ventri dedito: Abi, inquit, Seuſippe nepos hunc mulctaturus, ego enim ringor: Nec illud diſsimile, quod de quodam Tarentino apud Valerium Maximum legitur: Sumpſiſſem, inquit, à te ſupplicium, niſi tibi iratus eſſem. Maluit ille impunitum relinquere, quam per iram plus iuſto punire.

Quamobrem cum res poſtulabit irrogari verbera apud ſe prudenter primùm deliberet, vt pro delicti quantitate, & delinquẽtis perſonæ qualitate, hæc infligantur, idque zelo iuſtitiæ, non liuoris ſtimulo, cum temperata quadam ſeueritate, quam nimirum miſericordia comitetur. Nec alia prorſus ratione animaduertat in aliorum filios, quam ipſe proprium filiolum ab alio mulctari æquo ſit laturus animo. Cauendum in primis, ne quem pugnis, calcibus, ferula, aut baculis malè tractet, ne poſt in ore ſit omni populo, & clamitent indigniſsimè factum, cogaturque iam cum rubore prodire in publicum.

Meminerit inſuper hernioſos, ſurdaſtros, vlceroſos, puſillanimes, debiles, & ingenij ſtupidioris, non minori induſtria tractandos, quam peritiſsimus chirurgus quiſpiam tractet vulneratum, quem licet aliquoties obligatum exclamare præ dolore cogat, afflictum tamen futuræ ſanitatis ſpe ſolatur ac fulcit.

Poſt Caſtigationem vero hoc agendum Inſtitutori,

vt exuta parum ſua Catoniana, aut ferina potius ſeueritate, blandis quibuſdam luſibus aut laudibus puſillum tironis animum reuocet, ſecutus illud poëtæ carmen.

Sit licet in natos facies auſtera parentum,
Aequa tamē ſemper mēs eſt, & amica volūtas.

Sic enim fiet vt Diſcipulus Præceptorem boni patris loco habeat ac reuereatur potius, quā metuat nimiū.

Nec illud cenſeo prætereundum, expedire nonnunquam, vt de ſuo iure nonnihil concedat Didaſcalus, dum flagris aliquando poſthabitis, experiatur pudore ne & liberalitate (iuxta Comicum) ſatius ſit retinere liberos, quam metu. Vt enim alia frena alios equos domant, ita non vna via inconſultam ætatem regas: & vt nobilis equus vmbra virgæ regitur, ſic ignauus nec calcaribus concitari poteſt: Sic ſunt nonnulli generoſæ cuiuſdam indolis pueri, quibus aut verbulo, aut leuiore obiurgatiuncula, pudorem & dolorem incutias, & ſtatim ad lacrymas compellas: quos ſi ob leuius peccatum, (nec enim quoduis delictum puerorum cenſeri debet capitale) puta lectionis vnius ignorantiam, librum neglectum, altiorem ſomnū, veſtem pueriliter fœdatam, & his ſimilia, acrius putes caſtigandos, nonne puerilis animus, veluti iam fractus, à Præceptore, à Schola, & ab omni prorſus inſtitutione abhorreat?

Quocirca vbi huiuſmodi ſemel aut iterū Præceptor admonuerit, nec quidquam tamen admonitione promouerit,

mouerit, accedat iam pœna aliqua leuior, qua pudeſiat, vt miniſtrandæ menſæ, verrendi pauimenti, extergendi calceos diſcipuli diligentioris: aut, ſi libuerit, mulctandus vno aut altero nummulo: Et ne longius omnia proſequar: Sapientis erit Inſtitutoris ſimilia quædam pro ratione criminis excogitare, quibus & ſe ab aßiduitate flagrorum liberet: & tamē diſcentium pudori ſalutiq́ue conſulat: Fit enim creberrimè, vt hæc verecundum pueri animum non minus quam plagæ corrigant: Cum natura ita comparatum ſit, vt nemo generoſi animi æquius ferat, ſe ſeruilibus huiuſmodi laboribus premi.

Sunt porro & aliæ rationes, ob quas minus cōſultum videtur, cum pueriliter delinquentibus, quotidie virgis aut verberibus expoſtulare, hoc enim modo, & bona pars lectionis ſine fructu perit, & Præceptoris mens ſeu memoria ab inſtituto abducitur.

His adde quod interdum tirunculi truculentioribus ſpectaculis huiuſcemodi exterreantur, præſertim ſi crebra ſint, vt iam odiſſe incipiant, & Præceptorē & Scholam, & Studia.

Sed obiecerit fortaſſe quiſpiam: quid igitur? viſne vt diſcipulorū delictis vſque diſsimulatis, aut remiſſis, auctoritas omnis & imperium intereat Magiſtrorum? Iſtuc ſane abſit. Nam, vt inquit Seneca, Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit; Et notanda eſt inſignis illa ſapientißimi Regis Salomonis ſententia. Prouerb. 13.

Qui parcit virgæ, odit filium. *Et cap.* 23. Noli ſubtrahere diſciplinam à puero: Si enim percuſſeris eum virga, non morietur; Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.

Ergo vt nihil omnino inconſultius exiſtimē, quam ad puerorum delicta conniuere, quod hinc ſumant plerique maiorem peccandi licentiam, ſi quod peccent, impune fore ſperent: ita nolim, vt quis auctoritatem omnem, & magiſterij dignitatem ſibi ſolis plagis comparandam exiſtimet. Ideoque optarim vt induſtrius ſtudiorum artifex prudēter prius delectu ingeniorum habito, in animum prorſus inducat, quod apud Comicum eſt: Duo cum idem faciunt ſæpe, vt poßis dicere, hoc licet impune facere huic, illi non licet, non quod dißimilis res ſit, ſed quod is qui facit. Quapropter ſi in eam indolem inciderit, quæ nō tam verbo, quàm verberibus corrigatur, ſumat, vt æquum eſt pœnas, ſed pares delicto, & peccante dignas, ne quis eum merito Phalaridis imperium exercere dicat.

Hæc autem admonuiſſe non ad prudentes manſuetosq́ue doctores pertinet, qui ſibi ipſis imperare poſſunt ac norunt, ſed ad plagoſos, qui ſuo iudicio frequenter cæci, omnem diſcipulorum noxiam, ſupplicio ſtatim capitali plectendam cenſent. Atq; hactenus hæc ille fere, quibus adde, quæ Quintilianus admonet lib. I. cap. III. Cædi, inquit, Diſcipulos, quamquam id receptum ſit, minimè velim. Primum quia deforme

ac ſer-

ac ſeruile eſt, Deinde, cui mens eſt tam illiberalis, vt obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, vt peſſima quæque mancipia, durabitur. Poſtremò, quod ne opus quidem erit hac caſtigatione, ſi aſſiduus ſtudiorum exactor aſtiterit.

Caſtigatio à Diſcipulo non acerbè ferenda.

Iam & illud ſuperioribus adijciendum, ad Diſcipuli officium pertinere, vt animaduerſionem & caſtigationem delictorum æquo ferat animo, ſeque ſine vllo prorſus murmure ad meliora reduci ſinat. Nam, vt Salomon inquit, Qui diligit Diſciplinam, diligit Scientiam. Qui autem odit increpationem, inſipiens eſt. *Et rurſus.* Egeſtas & ignominia ei, qui deſerit Diſciplinam, Qui autem acquieſcit arguenti, glorificabitur. *Cum igitur & Magiſtrorum officium, & Diſcipulorum ſalus hoc poſtulent, vt qui honeſtis admonitionibus non acquieſcunt, acrioribus tum verbis, aut etiã verberibus caſtigentur: eumq́; facilius, iucundius, ac glorioſius ſit Præceptoribus docere Diſcipulos, quam caſtigare: ſpectat ſane ad intelligentes omnes, & bonæ indolis Diſcipulos, caſtigationem illatam non indignè aut acerbè ferre: ſed potius Magiſtris agendæ ſunt gratiæ, quod ipſos pene inuitos, tantis laboribus ac moleſtijs ad bonarum artium & virtutum ſtudia pertrahant.*

Qui tollit morbũ corporis, licet acrioribus & amaris id agat pharmacis, ab ægroto diligitur tamẽ & afficitur beneficio: ergo quãto animus ipſe corpore præ-

ſtantior ac nobilior eſt, tanto quoque plura merebitur, qui curat ac ſanat vulnus animi: Adhæc pro corporis incolumitate reſtituenda ferrũ patiemur & ignes, ſecari & vri nos ſuſtinebimus; ergo ab animorũ medico etiam leuiora patienter ferre nos oportet. Turpe ſanè fuerit, qui corpore malè affecto ſunt, tantum medicis tribuere, vt ſeu ſecent, ſeu vrant Corpus, ipſos tamen amicos exiſtimẽt, & ſummo amore proſequantur: & non eundem habere affectũ erga ipſos qui curant animam. Certè quos delinquere non puduit, non decet offendi à magiſtro caſtigatos, vel admonitos.

Si vero, vt fieri poteſt, iniuſtè à Præceptoribus reprehendantur, æquum tamen eſt, vt intelligens Diſcipulus concedat nonnihil Præceptoris ætati, valetudini, negocijs, moleſtijs, & Inſtitutionis difficultati, memineritque quam viro bono moleſtum ſit, offendi per eos pro quorũ ſalute tantos ſubire labores nõ dedignatur, quibusq́; tanto ſtudio & affectu rectè conſultũ cupit, & de quibus hactenus tam præclarè meritus eſt.

De Diſciplina Nobilium.

Porro ſi quis forte ſciſcitetur, ecquid cũ ipſa Nobilitate agendum arbitremur, num ijſdem ea legibus teneri debeat, eademq́; ratione ac modo ſit inſtituẽda, quo ceteri: Hunc nos legere iubemus libellos hoc argumentum peculiariter pertractantes, aut ſi quis breuitate fortaßis oblectetur, legat is cap. 30. lib. 1. Scholaſticorum Officiorum Middendorpij. Cui nos illud adiecerimus ipſam Chriſtianam pietatẽ cultumq́;

& obſeruationem piarum legum ijs cum primis eſſe neceſſariam, qui Reip. præficientur, qui ſi impij fuerint, nō ſibi duntaxat, ſed etiam ciuibus ſuis, aut prouincialibus futuri ſunt exitio. Tales enim ciuitates & ipſæ prouinciæ eſſe ſolent, quales ſunt ipſorū Principum mores, quorum exempla maximè conſpicua, & quaſi in excelſo poſita, quilibet libenter imitatur, eademq́ue fere ſuis vitijs prætexit, quaſi vel non indecora ſint, vel eorum exemplo & auctoritate permittantur. Adhæc præclarè docent Hiſtoriarum & Sacræ Scripturæ libri, plebem ipſam à Deo irato grauiſſimè plecti ſolitam, & pœnas luiſſe maximas pro malefactis & impietate ſuorum Principum: exemplo ſit vel vnus Pharao, cuius impietas quantis calamitatibus, ærumnis, & cædibus afflixit Ægyptum?

Cum igitur intelligimus Pietatem Nobilitati maximè omnium eſſe neceſſariam, facile quoque perſpicitur in erudienda Nobilitate, debere primùm omnium rationem veræ Pietatis haberi, tum etiam quanto ea labore, ſtudio, ac diligentia à primis annis inſtitui debeat, quamq́ue arctis habenis & legibus, ne moribus ac vita diffluat, conſtringi: Quin & res ipſa docet, vt ignorantis non eſt alium docere, nec cadentis alium erigere, ita Principem non poſſe populum à malefactis coercere, ſi ipſe obnoxius ijſdem imperandi auctoritatem amiſerit.

CLASSIS VII.

Prima ſtudiorum tirocinia. Claſsis VII.

Tabella	*Alphabetica.*	*Vulgo*	Den a.b.c.
	Catechiſtica.		Het cleyn Gebet.
	Liturgica.		Den Confiteor.

Placuit hanc Scholam diſpertiri in Septem Curias, ſiue, vt diximus, Ordines aut Claſſes: quamuis fortaſſe ſummam Claſſem, niſi in vrbibus quibuſdam & ſcholis celebrioribus licebit rarius inuenire: Et ex Secunda, multique ex Tertia, qui & docili ſunt ingenio, nactique doctum, induſtrium, & diligentem Inſtitutorem ad Academias conferre ſe poſſint: Tamen vt Scholæ conſummatæ ædificium extrueremus, ſummam hanc Claſſem adiunximus.

In hac Septima Claſſe & infima, collocandi ſunt illi, qui nondum nouerunt legere, ſed ſtudia ſua iam primum auſpicantur: quibus velut infantibus adhuc Ludimagiſter bonus ac fidelis, tamquam alter parẽs, immo nouæ naturæ genitor, eſcam veluti præmaſticabit, ne quid ventriculo noceat. Quatuor vero ſunt quæ Præceptorem in hac Claſſe diligenter procurare oporteat.

Primùm vt Tirunculus litterarum formas facile queat internoſcere.

Tum, vt eaſdem rectè & ſono Romano pronunciare aſſueſcat.

Tertiò, vt Litteras in Syllabas citò diſcat cõiungere.

Poſtremò, vt promptè & expeditè poßit legere.

Tabella alphabetica, *paruulis litterarum elementis iam initiandis, primum omniũ eſt proponenda, quæ litterarum figuras, & rationẽ eas facile connectendi complectetur.*

Ex hac Tirunculus initio vnam, deinde duas vel tres diſcat cognoſcere & pronunciare, quas vbi nôrit, totidem deinde ſunt adijciendæ, donec ad poſtremam deuentum ſit; eoque blandè & comiter primùm quaſi per luſum paulatim inuitãdus eſt potius, quam inſtanter vrgendus.

Curet verò Inſtitutor, quoad eius poteſt fieri, vt puerulus aſſueſcat primùm pronunciare litteras ſono Romano, caueat vero ne quid ſonet peregrinum vel cacophonum, aut ſi malis, barbarophonum. Quod pronuntiationis vitium cum à multis non curetur, & à quibuſdam fortaßis non agnoſcatur, vulgatiores aliquot eius ſpecies hoc loco commemorabo.

Barbarophonia, *ſeu Cacophonia igitur vitium eſt in pronũtiatione, quod duabus vel tribus de cauſſis committi ſolet, nempe vel ex naturæ defectu, linguæque vel oris deprauatione, vel ex inueterata aliqua conſuetudine, aut certè temere per imperitiam.*

Quod ex naturæ defectu prouenit, in ſcribẽdo non deprehenditur, ſed eſt tantũ in ſermone, quẽ ore profe-

rimus, & huius enumerantur ſequẽtes aliquot ſpecies.

Hæſitantia linguæ, vt Tutullius pro Tullius.

Balbuties eſt in pronunciando S. & R. vt Plobo, pro, Probo.

Blæſitas, cum ex ore diſtorto litteræ quaſi torquẽtur, cuius exemplum ſcripto tradi non poteſt.

Κοιλοστομια, *eſt cum ſonus è palato aut naribus prodit, vt Galli ſolent on efferre.*

Iotaciſmus cum littera i ſupra iuſtum decorem in dictionibus extenditur, vitium Anglis familiare.

Lambdaciſmus cum, l, nimis plenè pronunciatur, vt ellucet pro lucet, ſalleuus pro ſaluus; cui contrariũ eſt Falo pro fallo, Molis pro mollis.

Multi litteras vel Syllabas exilius, ac tenuius enunciant, vt emor pro amor. Sic in Brabantia Campani, quos Kempinienſes vulgo appellant, Corpus, forma, Deus, mens, & ſimilia vitioſè proferre conſueuerunt. Sic litteram, a, aliter fere Louanienſes, quam Buſcoducenſes, & Bataui plerique pronunciant. Illi exilius fere, hi craſſius. Ita & alia quædam inuenias quæ à pleriſque craſſius & obſcurius enunciantur, vt argo, pro ergo. Par, pro, per. Fountes pro fontes. Rumpo quaſi rompo. Defunctus pronũciant quaſi Defonctus. Tundo quaſi tondo. Sic litteram. v. in dictione, vbi, & alijs quibuſdam. Aliter ſæpe Colonienſis, aliter Louanienſis, aliter rurſus pronuntiabit eam nõnunquam Campanus aliquis in Brabãtia. Idem frequenter animaduertas in littera i, quam alij exilius, alij

craſſius quoque proferre ſolent, vt tibi, ſibi &c. Sic multi Mihi, Nihil, per c, quaſi Michi, Nichil pronunciant, ita aliqui Chriſtus dicunt quaſi Criſtus aſpirationis notam vitioſè omittẽtes, plura huiuſmodi in multorum ſermone obſeruare & notare licebit.

Neceſſarium eſt igitur, vt ij qui litteras ipſas cõnectendi, rectéque legendi rationem pueros docent, curent id ſedulò, vt clarè omnes Syllabæ à pueris exprimantur, & ſuis quæq; litteræ proprijs & quaſi natiuis ſonis enuncientur, oriſque vitia, vel parẽtum, vel nutricum negligentia contracta: tum etiam quæ ſuis quibuſque nationibus in pronunciando propria ſunt ſumma cura & diligentia corrigant, quo maturius ad Fabianam illam Orthopœiam, ſeu rectè pronunciandi rationem peruenire queant. Sed de litterarum ſono ac pronuntiatione hæc modo ſufficiant.

Poſt litteras vero adijciatur in hac tabella alphabetica, modus ac ratio aliqua expedita, eaſdẽ in ſyllabas cõiungendi: quam eiuſmodi optarẽ eſſe, qualẽ Louanij in vſum Scholæ Laurẽtianæ vtiliter collegit ex Grammatica fortaſſis Aldi Manutij, vir mirè induſtrius M. Frãciſcus Nouaterranus, primus Gãdauẽſis Collegij inſtitutor, in qua ſingulæ initio Cõſonantes, ſingulis iunguntur vocalibus, hoc modo, Ba. be. bi. bo. bu. atq; ita deinceps, vt quaſi nugando potius, quã vrgendo, puer quo tẽdit pæne ſine labore perducatur.

His vero iam ſatis cognitis, ſequatur Tabella Catechiſtica, quæ ſolum contineat prima ac præcipua

Chriſtianæ Religionis elementa, videlicet, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam. Symbolum Apoſtolorum, Decem Præcepta Domini, & Septem peccata Capitalia. Hæc litteris, vt vulgo ſit, excudi debent craßiuſculis, & Romanis potius, quã Italicis.

Vt vero Tirunculus rectè legendi rationem celerius aſſequatur, ſingulæ dictionum ſyllabæ diuiſim & à ſe mutuo ſeparatæ excudi debent. Hoc modo. Pa ter. no ſter. qui. es. in. cæ lis. ſan cti fi cetur. *&c. poſita periodi nota ad finalem cuiuſque dictionis ſyllabam. Mirum vero quam illa ſyllabarum ſeparatio ſit vtilis iam primùm legere incipientibus.*

Puerile videtur hæc admonere: Sed nos puerorum commodis rectè conſulendi occaſionem, noluimus hoc loco præterire. Nam & ipſa nos admonet experientia, quantum hæc puerilia ad expeditam ac facilem legendi rationem adiumenti conferant.

Obſeruandum quoque in his libellis, vt omnes ſyllabæ excudantur ſine vllis flexibus, & notis compendij aut breuitatis, in quibus Græci mira varietate laſciuiunt, non ſine magno eorum incommodo, qui linguæ eorum lectionem primùm auſpicantur. Prima vero in legendo cura ſit, vt puer attentè & emendatè legat: Nam vt idem faciat expeditè, dabit vſus optimus cuiuſque artis magiſter.

Porro vbi libellum hunc Alphabeticum puer iam norit legere & memoria complectetur, quod intra ſemeſtre, ſi ad ingeniũ pueri ſatis docile, acceſſerit quo-

tidiana doctoris diligentia, conſequi poterit: addetur Tabella Liturgica, ſic à nobis inſcripta, quod doceat adminiſtrare & reſpondere ſacrificanti in Liturgia ſeu Miſſa Sacerdoti.

Hic vero Libellus, eodem, quo ſuperior, excuſus modo, præter generalem illam Peccatorum Confeſſionem (quam vt omnis vitetur diſcrepantia, velim excudi ex nouo Breuiario reſtituto nuper per Concilium Tridentinum) & reſponſiones in miniſterio Miſſæ vſurpandas, complectetur etiam breues aliquot Precandi formulas, vt Conſecrationem menſæ, & gratiarum actionem. Adhæc Præcatiunculas illas, quibus ad eleuationem Corporis & Calicis Domini in Eccleſia Catholica vtimur. Quibus licebit addere Præcatiunculas mane ſurgentis, & veſperi euntis cubitũ, ex primo Capite Enchiridij Precationum.

Vſum vero libelli Catechiſtici & Liturgici indicauimus Claſſe Septima libri tertij: Adijciemus nunc aliquid de Sabbathina eorum repetitione, quæ tota hebdomoda pueri didicerunt.

De Repetitione diei Sabbathi.

In pueris fideliter inſtituendis caueri debet vel omnium maximè, ne ea quæ ſemel perceperunt, memoriæ rurſus excidant, atque in hunc finem inſtituenda eſt in omni Claſſe ſtata quædam Repetitio, eaq; vt habet cõſuetus Scholarũ mos & vſus, fiat cuiuſq; hebdomadis die Sabbathi, quo qui Alphabeticũ libellum didicerũt, eundẽ repetant, facturi poſt idem in Liturgi-

co, etiam cum ad Claſſem ſequentē iam conſcenderint.

De morum ciuilitate.

Ad Inſtitutionem Scholaſticam ſpectat etiam morum ciuilitas, quæ Eruditionis & Virtutis illuſtre ac omnibus gratum ornamentum eſt, cuique ſtatim à primis æui rudimentis oportet pueros aſſuefacere, priuſquam morum vitia diutius inſederint, & altius radices egerint, quam vt facile queant extirpari.

Curabit igitur Inſtitutor, vt Puer bene cōpoſitum habeat & animū, & corpus, Animus bene compoſitus potiſſimū relucet in vultu & verbis, Corpus vero maximè in inceſſu, ſtatu, ornatu, & geſtu. Admonendus igitur ſæpenumero puer eſt, quid in horū ſingulis deceat, quid dedeceat, eaq; doctrina peti debet ex libellis de Ciuilitate morū peculiariter cōſcriptis, quorū præcepta perpetuo ad aurem pueri occinet diligens & induſtrius ciuilium morum artifex.

Ex iiſdem libellis doceantur Pueri quid in cibi ac potus ſumptione honeſtatis aut valetudinis ratio poſtulet, Conſueuerunt nonnulli iam inde ab his puerilibus annis ſtomachum multo cibo infarcire ac onerare, quod & valetudini noxium eſt, & ingenij acumē vehementer obtundit, vt Atheneus Beotos propterea ſtupidos fuiſſe dicat, quod edendi bibendique limites ac modum exceſſiſſent, & Plutarchus conteſtatur Atticos Beotis ſtupidi cognomē ab edacitate impoſuiſſe. Huc pertinet quod apud D. Hieronymum Legitur. Pinguem ventrē nō gignere ſenſum tenuem.

ac pro-

ac proinde alendam eſſe Iuuentutẽ, vt ſemper eſuriat, & poſt cibum ſtatim poßit legere ac ſcribere.

Tantum igitur cibi ac potus ſumendum eſt, vt vires reficiantur, nõ opprimantur, & cum natura ipſa paucißimis ſemper contenta ſit, profuerit in quauis Claſſe pueris commendari frequenter Frugalitatẽ, quæ efficit vt præſentia, quæq; in diẽ largitur nobis Deus, non modo ſufficiant: ſed etiã vt habeamus, quod mendicis largiamur, aut in vſus futuros conſeruemus, vt dignißimus notatu Senarius ille Iani Aniſij verſiculus. Frugalitas viaticum vitæ optimum: *quod quidam non inſcitè ſic vertit Germanicè.*

Wer ſich meſſig helt in ſeim zern.
Der mag ſich liederlich ernern.

Nec minus notatu dignum fuerit illud Ciceronis, Magnum vectigal Parſimonia.

Perſuaſum quoq; habeat puer apud menſam omnia caſta, pura, & ſancta eſſe debere, quod videlicet ſanctus ſit ille, cuius ibi munera capiũtur. Sumpturus igitur cibũ, meminerit id quod apponitur Diuinæ benignitatis munus eſſe, ideoq; Deo ſemper agendas eſſe gratias.

Porro cũ nõ minorẽ abuſum ac luxũ videamus eſſe Veſtimentorũ, quã ſit cibi vel Potus, moneantur, doceanturq; Pueri non amare in Veſtimentis ſumptum inutilem, hoc eſt, vel militari more diſſectum, Vel ad Thraſonicam quandam licentiam, moremq; exoticum ac peregrinum efformatum: Sed qui planè ſimplex ſit,

veſtiendoque

veſtiendoque corpori accommodatus, liber à ſordibus, & pro fortuna ac ſtatu cuiuſque comparatus.

Multi nūc ſciſſas tumidasq; caligas, & veſtes militares ac deformatas, quæ tā Dominos ſuos, quā ſtudia ac ſcholā dedecorant, quas, vt quædā refert Hiſtoria, etiā ipſe Diabolus abominatur, qua in re nūc paßim tāta libertas eſt, vt nihil indignius ferendū videatur.

Tales igitur veſtes gerant, talesq; à parētibus ſibi parari curent, ex quibus ſtatim ab omnibus eorum ſtudia deprehendantur, congruantq; illorum & ætati, & perſonæ, & ſcholaſtico ſtudio, quæ honeſtæ & mundæ quidem ſint à ſordibus, ſed non molles, vel nimis elaboratæ, nec ſplendidæ aut vanæ. Eſt enim in veſtitu, ſicut pleriſque in rebus Mediocritas optima. Sed de his plura inferius Claſſe. 3. lib. 3.

Qui ad VI. Claſſem non admittendi.

Priuſquam Tirunculus ad Claſſem ſequentē admittatur, inquirendū diligenter nū ſatis expeditè iam norit legere, quod niſi perfectè et expeditè norit, ad altiorē Claßē tranſire nō debet. Adhæc ſunt interrogādi parētes eius, an velint filiū in linguæ Latinæ ſtudijs multos annos perſeuerare, An potius vbi legendi ſcribendiq; rationem rectè callueri, ſtatuant ipſum à ſtudijs reuocare. Nam talis ad aliā Claſſem trāsferri nō debet: Sed totius Catechiſmi ſummam proxima Claſſe prælegendam, ediſcet ex Catechiſmo cōſcripto ſermone vernaculo, eiusq; interpretationem ac ſenſum Didaſcalus paucis verbis explicabit.

CLAS-

CLASSIS VI.

Summma Claſsis VI.

- *Prima Grammatices Tirocinia.*
  - *Rudimenta Latinæ Grammatices noſtræ, vel alterius.*
  - *Etymologiæ & Syntaxeos* — *Regulæ quædam generales, cuiuſmodi in noſtris Rud.*
- *Libri in quibus commonſtretur Præceptorum vſus.*
  - *Lexicon alicuius viri docti, breue, & facile.*
  - *Breues, faciles, & ſelectæ Sententiolæ.*
  - *Vel Progymnaſmatum noſtrorum libri primi.*
- *Diebus.*
  - *Sabbathi*
    - *Repetitio eorum quæ didicerunt ſuperiori Claſſe, & quæ tota hac hebdomada.*
    - *Principia Cantus Gregoriani.*
  - *Feſtis, vide infra Claſſ. VI. lib. 3.*

De Grammaticæ Præceptionib, initio proponendis.

Primum omnium litterarum ſtudia auſpicantibus, proponendæ ſunt huiuſmodi Rudimentorum Grammaticæ Præceptiones, quæ breues, apertæ & faciles ſint, ne Tirunculi initio vel multitudine earum onerētur, vel earum etiam obſcuritate impediantur, vt ſemeſtri abſolui non queant: Adhæc quæ certæ ſint, & cuiuis tutò imitandæ, ne quid fortaſſe diſcant paruuli, iteratò & moleſto labore poſtea dediſcendum.

Permultum vero confert, ad artis alicuius Præceptiones facile apprehendendas, & ad maiorem progreſſum in iiſdem quam primū faciendum, tenere facilem aliquam illius tradendæ methodū, quæ cum docentis, tum diſcentis laborem lenit ac mitigat: Non alienum igitur ab hac noſtra prouincia exiſtimaue-

rim, ſi paulo diſtinctius & explicatius hoc loco declarauero, qua ratione Rudimentorum Præceptiones vtiliter & ad primæ ætatis intelligentiam congruenter tradi queant, ne ſi hac in parte Doctoris Grammatici deſideretur induſtria vel dexteritas, diſcentes tum ſtudia, quæ amare vix poſſint, oderint, & amaritudinem ſemel perceptam, etiam vltra rudiores annos reformident.

Principio igitur in Grammaticæ Rudimentis explicandis aliam alij ſequuntur rationem ac methodum: Nonnulli enim omiſſis initio octo Orationis partibus auſpicantur hæc à Nominum ac Verborum inflexionibus, à Muſa videlicet vel Poëta. Hunc eſt ſecutus ordinem Ioan. Cuſtos Brechtanus, in ijs Rudimentorum tabulis, quæ vulgo Figuræ nomine hic apud Belgas circunferuntur, qui cum facilis ſit, & accommodatus puerorum captui, non video cur cuiquam poſſit improbari.

Ceterum ſi rectam methodum ac viam magis libebit ingredi, vt à partibus Orationis Grammaticen malis exordiri, ſecutus Donatum & multos alios, nolim te tamen initio tradere ſimul omnia, quæ hiſce libellis contineri conſueuerunt, alia enim alios annos, aut certe menſes exigunt. Quamobrē prælectione prima huius libelli, in Nominibus nihil aliud adhuc pueris proponatur, quam Genera, Numeri, Caſus, & Declinationes.

In Pronomine diſcatur ſolū pronominū enumeratio.

In Ver-

In Verbo, Coniugationes, Genera, Modi, Tempora, & Perſonæ.

In Participio, Terminationes & Tempora.

In Præpoſitione, ſingulorum enumeratio.

Aduerbiũ, Cõiunctio, Interiectio, & alia reliquorũ partiũ Accidentia in Claſſem proximã reijciantur, vt puer primo ſtatim mẽſe ad Nominis et Verbi inflexiones perducatur. In his quoq; omiſſurus nonnulla, vt

In Prima Declinatione, Græca omnia. Andreas, Anchiſes, Pentecoſte.

In Secunda ſimiliter Græca, Tydeus, Logos, &c.

In Tertia nomina Communis & omnis generis.

In Pronominum declinatione Is & Quis, cum eorum compoſitis.

Ceteris vero iã ſatis perceptis ac cognitis, ſuccedãt vna ſtatim lectione, generales Etymologiæ & Syntaxeos regulæ, quæ & planæ ſint, & faciles, nulla adhuc ijs adiũcta exceptione: Hæc enim duo diligẽter in hac Claſſe ſunt obſeruanda, vt ſcilicet nihil huic ætati adhuc tenellæ proponatur, quod non ſit planum & apertum. Deinde vt nihil doceatur quod diutius queat ignorari: Multa enim ſunt, quæ in hac ætate facilius quotidiana & continenti Exercitatione & conſuetudine comparantur, quam artis demonſtratione, vt Mathematici faciunt & Dialectici.

Quamobrem nihil etiamnum in hac Claſſe opus eſſe putauerim, multis ocioſis & inutilibus verbis inculcare, quid ſit Caſus, quis dicatur Nominatiuus,

quis Genitiuus, & alia huiuſmodi, quæ in his libellis plerique idiomate vernaculo expoſuerunt. Mihi ſufficerit puerum enumeraſſe caſus ſex, numeros duos, & ſimilia, ſine pleniore adhuc intellectu. Sed de his nos plura ſuperius, cum ageremus de Præceptionibus Grammaticæ pueris initio proponendis.

De Sententiolis in hac Claſſe prælegendis.

Reliquum nunc eſt, vt vnà cum ipſis Grammaticæ Rudimentis enarrentur breues quædam & ſelectæ Sententiolæ, in quibus Præceptionũ Rudimentorum vſus quotidie pueris oſtendatur. Sic enim futurum eſt, vt quotidiana illa Exercitatione, Præcepta melius intelligantur, & probè iam intellecta diutius memoriæ inſideant.

Porro huiuſmodi Sententiolæ, faciles ſint, vt facile à rudibus queant percipi, & breues, vt non difficulter ediſcantur: Et poſtremo tales, vt poſſint eſſe futurarum Virtutum veluti quædam ſeminaria, & ad Chriſtianam pietatem incitamenta.

Nos huiuſmodi aliquot, vt earum ſpecimen preberemus, adiecimus Grammaticæ noſtræ Rudimentis, in quibus hanc puerilem ætatem lectione vna pomeridiana diligenter velim exerceri, Tempus vero antemeridianum deſtinandum eſt ipſis Rudimentis.

Illud porro hic admonendum, quod & in reliquis Claſſibus obſeruatum oportet, vt quæ prolixiora ſunt & difficiliora, & tamen memoriæ committenda ac ediſcenda, horis illa potius antemeridianis, quæ vero

ſolum renouanda aut repetenda, exercitationibus pomeridianis reſeruentur. Poſt ſomnum enim & ante prandium, vel ſumptum cibum, liberior & ſolutior à curis eſt animus, eoq́ue ingenij vires tum magis vigent, percipitq́ue omnia facilius tum puer, & altius infigit animo, vt vna hora matutina & antemeridiana in ſtudijs plus effeceris, quam duabus pomeridianis, idq́ue nullo corporis detrimẽto. Sed nunc præſcribenda aliqua probata lectionis in his Sententijs examinendæ ratio ac formula.

Lectionis in his Sententijs examinandæ formula.

I. Totius orationis ſententia primùm, ac deinde ſtatim ſingularum vocum ſignificatio eſt inquirenda: qua in re cum puer hæſitarit, vtetur Præceptoris opera, nec hunc pudebit vnquam, quæ ignorabit, à Præceptore ſciſcitari, nec erubeſcet à quouis doceri, quod maximi viri non erubuerunt, erubeſcat potius ignorare, & nolle diſcere.

II. Inquiret ad quam Orationis partem dictiones ſingulæ referantur. Vbi vtendum hac vel ſimili partes orationis facile & expedite internoſcendi ratione.

Nomen, *ſæpe cognoſcitur ex lingua noſtra vernacula,* Een/ *vt homo,* een menſch.

Pronomen, *ex ipſa Pronominum enumeratione.*

Verbum, *ſi rectè ipſi proponatur,* Jck/ Ghy/ Hy/ Wy/ Sy. *&c.*

Participium, *ex eius terminatione & ſignificatione.*

Aduerbium, } *ex Significatione & quotidiano vſu,*
Coniunctio, }

Præpoſitio, *ex enumeratione Præpoſitionum, ſunt enim certo numero.*

Interiectio, *ex affectu mentis quem ſignificat.*

Inuenta iam vero Orationis parte, percurrenda ſunt illius Partis Attributa, ſeu, vt vocant, Accidentia, ſed ſolum, vt ſupra diximus, præcipua.

In Nomine, *Caſus, Genus, Declinatio, & Qualitas.*

In Pronomine, *Caſus, & Perſona.*

In Participio, *Caſus, Declinatio, Tempus.*

In Verbo, *Modus, Tempus, Coniugatio, Præteritum, & Supinum.*

In Aduerbio, }
In Cõiunctione, } *Significatio petenda ex Rudi.*
In Interiectione, }

In Præpoſitiõe, *quẽ regat caſum, & quid ſignificet.*

III. Excutienda eſt Orationis Syntaxis, quam appellant Conſtructionem, ex Regulis illis, Catholicis ſeu generalibus, cuiuſmodi Rudimentis noſtris adiunximus.

De vtilitate ediſcendi, & excolenda Memoria.

Reliquus nunc eſt poſtremus in hac Claſſe ſubeundus labor, vt puer ſcilicet lectionẽ ad Præcepta Grãmatices, ſic vti diximus, examinatam, etiam ediſcat: quod cum ad alia, tum plurimum conducit ad excolendam Memoriã, quæ tribus rebus potiſſimùm con-

ſtat, Intelligentia, Ordine, & Dilig ētia, Intelligentia facit, vt non difficulter ediſcas, Ordo vt facile reminiſcare, Optimum vero eſt Diligentia, labor, & quotidiana exercitatio, qua Memoria non ſolum conſeruatur & firmatur, ſed etiam maiora indies incrementa ſumit. Qua de re paulo pluribus agemus Claſſe proximè ſequenti.

Porro dum aliquid memoriter recitatur, hoc etiam curandum, vt puer clarè, diſtinctè, & lentè, & tamquam declamet, omnia recitet, Præceptor vero huc diligenter auſcultet vt os, & pronunciationem emendet, curetque ſedulo, ne quum Puer in pronunciando peccet, vt nimirum expreſſa ſint verba, & ſuis quæque litteræ ſonis enuncientur, & ne extremæ illi Syllabæ intercidant. Doceat præterea, vbi pronunciantis ſpiritus ſit ſuſpendendus, vbi incipiendus, & vbi claudendus ſenſus. Tum etiam, vbi ſit attollenda vox, & vbi ſubmittenda, & id genus alia, quæ ad maturiorem ætatem, & Claſſes ſequentes, magis quam ad iſtam pertinent.

De prælectione Dictionarioli.

Rudimentis ſemel abſolutis, iubeantur Pueri in docto aliquo Lexico, ſeu, vt vulgo dicimus, Dictionariolo, lectione vna antemeridiana ediſcere aliquot vocabula, quæ ſint bene Latina, vſitata, & ſelecta, & illius ætatis, qua optimè locuti ſunt ciues Romani, non Peregrina, non Noua, non è barbarorum ſcholis profecta, cuiuſmodi in lexicis multorum, multa

reperiuntur. Sed ſint ex probatis tantum deſumpta ſcriptoribus, deinde ſint rerum fere huic primæ ætati non ignoratarum. Adhæc quæ ad quotidianos congreſſus, & domeſticas confabulationes ſint vtilia, aut ad hanc, vel proximam Claſſem ſcitu neceſſaria: Rerum enim vocabula, vnà cum ipſis rebus vtilius celeriusque ediſcuntur.

Nos nuper Dictionariolum quoddam Corn. Croci Amſterodamenſis Gymnaſiarchæ, acceſsione multa ex lucubratiuncula quadam Corn. Valerij profeſſoris Eloquẽtiæ in Academià Louanienſi, à nobis vtcumque locupletatum, redegimus in ordinem Alphabeticum, quo nullum adhuc noui aliud ſelectioribus vocabulis magis commendatum. Illud igitur adiunctum noſtris Latinæ linguæ Progymnaſmatis miſi Antuerpiam Antonio Thielenio typographico prelo ſubijciendũ, quo paruulis tam diu licebit vti, donec aliud in lucem prodeat, quod viri docti iudicarint huic ætati magis conuenire.

De duplici genere exercitationis ſtudiorum.

Duo ſunt Exercitationis genera cuilibet fere Claſsi congruentia, & cum primis neceſſaria: Diſputatio videlicet & Repetitio, quibus Tirones hoc in primis conſequentur, ſi modo crebrò & vtiliter adhibeantur, vt quæ prima fortaſsis lectione non ſatis fuerint aſſecuti, plenius & perfectius intelligant, Tum etiam vt altius omnia menti infigantur, hæreantque in tempus diuturnius.

De Diſputatione.

Diſputationem in qualibet bene inſtituta Schola neceſſariam eſſe, nemini non perſuaſum eſſe debet, vt quæ ingeniorum quaſi paleſtra quædam, neruos animi præcipuè tum oſtendit, tum excitat, tum etiam adauget, Æmulatio enim illa commouet pueriles animos, nec ſinit ocio torpeſcere.

Hæc igitur in Claßibus his inferioribus, in artiũ Præceptionibus inſtituetur, eaque ſit quotidiana, vel certè crebra, dieque ac hora ad hoc maximè accommodatis.

Si quid temporis ſit reliquum à lectione iam recitata, Iuniores tum diſcant pingere litteras, Maiores vero & doctiores, dent operam Epiſtolarum & Carminum compoſitioni. Nulli vero liceat tum vacare ab opere litterario, nugari, fabulari, ludere, aut inſoleſcere. Sed his de rebus alio loco, nunc ad Diſputationem redeamus.

Operam nauabunt Præceptores, vt huiuſmodi Diſputationes modeſtæ ſint & ſedatæ, ſine vllo prorſus aduerſarium fallendi ſtudio, ſine omni vociferatione, rixandique & altercandi libidine: Seruãdus eſt enim in ſermone candor, & ſimplicitas, & in geſtibus modeſtia, cum quadam grauitate coniuncta, quanta ſcilicet in illam ætatem incidere poteſt.

Adſit feruor, ſed temperatus: & vehementia, ſed cui nullum ſit cum ira commercium: Abſint maleuolentia, iracundia, & inuidia, quæ grauiori in-

crepatione prohiberi ac impediri debent.

Diſputationis materiam, hoc eſt, Artium præcepta diſputationis examine diſcutienda, Præceptor quotidie commonſtrabit, & præſcribet, quique in eo certamine victi ſuccubuerint, vel mulctandi ſunt nũmulo, vel in Claſſe ſua, loco ſedeant poſteriori, vel deoſculentur nummũ æneum infixum in hunc vſum ipſius Scholæ pauimento.

Denique Victores ipſi donentur interdum præmiolis; vt æſtate floſculis, herbis odoriferis, nuce vel pomo; Hiberno tempore imagunculis, charta, calamo, aut ſimilibus alijs; Moderatè nonnunquam collaudentur. Victi vero ipſi, ad pugnam alacrius maioribusque viribus ſubeundam, excitentur.

Pecuniola vero illa, qua victos mulctari iubemus, aſſeruetur in communem Iuuentutis vſum, vt hac huiuſmodi præmiola, quæ dixi, comparentur. Ærario vero iam exhauſto, cenſeantur ſingulorum capita, & pecuniolæ quantum ad hanc rem ſatis ſit, à ſingulis exigatur.

De Repetitione.

Repetitio, *duplex ſit, Quotidiana, & Sabbathina. Illa poteſt fieri poſt iam recitatam lectionem, cum quis audita, vel per ſe, vel cum alijs retractat. Hæc vero fit die Sabbathi, tum enim in ſingulis Claſſibus recitandum eſt penſum totius hebdomadis, idque horis potiſſimum antemeridianis.*

De Cantu Eccleſiaſtico.

Pomeridiani temporis horæ aliquot quolibet die Sabbathi, in hac, & in duabus vel tribus ſequentibus Claſsibus tribuentur Cantui Eccleſiaſtico, non illi dico ſymphoniaco, quem vocant Muſicum: ſed vulgari, & in omnibus Catholicorum Eccleſijs vſitato.

Symphoniam vero pueris Latinæ linguæ ſtudioſis proponi, approbare non poſſum, qua ſtudioſi illius hoc conſequuntur, vt cum inter ſe conueniant, nihil pæne agant tum aliud, quam canant. Reliqua omnia per omnem vitam vtiliora, magisque neceſſaria præ huius ſtudio negligentes.

Ceterum cum in his Scholis informari inſtituique debeant, futuri in poſterum Eccleſiarum miniſtri, Paſtores, Cantores, Canonici, Cœnobitæ, Cantus ille, quem à B. Gregorio illo Magno Romano Pontifice, Gregorianum appellant, in his Scholis negligi omnino non debet, Raro enim videmus canendi bene peritos, qui cantum in his Scholis olim pueri non didicerunt, quod exemplo non iniucundo, & hanc ad rem non inepto, ſi eo fortaſsis quis delectetur, facile queam confirmare.

De quotidiana Latinè loquendi conſuetudine.

Ad Puerorum huius Claſsis exercitationem, illud quoque pertinet, vt iam nūc incipiant cum Sodalibus ſuis Latinè loqui, qua ratione id conſequentur, vt

ſibi maturè comparent Latinè loquendi ſcribendiq́ue expeditam facultatem, id quod felicius ſuccedet, ſi Latinæ linguæ progymnaſmatum libros, quos ad corrigendam primæ ætatis barbariem potiſsimùm collegimus, multa lectione & repetitione triuerint.

De vtilitate venuſtè ſcribendi, ſeu pingendi litteras.

Eſt & aliud huius Claſsis Exercitium, bellè ſcilicet & venuſtè ſcribendi pingendiq́ue litteras, cui proinde Tirones ſtatim atque in hanc Claſſem tranſlati fuerint, non ſegniter nauabunt operam; ſed huc tamquam ad rem maximi momenti, & ex qua ingentes poſtea commoditates conſequentur, incumbent toto, quod aiunt, pectore ac viribus.

Primum enim venuſta, elegans, & diſtincta Scriptura, non ſecus quam pictura ſcitè & artificioſe elaborata, lectoris oculis pariter ac animo ſuauiter adblanditur, nec mediocriter eundem recreat.

Deinde non ſolùm libentius, & cum quadam voluptate legimus, quæ ſcitè eleganterq́ue ſunt deſcripta, ſed etiam Compoſitioni ipſi non parum commendationis & gratiæ hinc accedit: Sic contra videmus euenire ſcriptioni ineptæ & ineleganti, quæ facit, vt quod ſcriptum eſt, amittat omnem gratiam, & vel abijciatur, vel cum tædio legatur & nauſea.

Adhæc ſi omnino turpe ducimus, hominem litteratum non bene ſcribere, ſed ſcribendo ab idiotis ſuperari, conſequitur nequaquam ferendos, qui bellè

ſcribendi ſtudium pro nihilo ducunt, præſertim cum legamus eruditiſſimos & grauiſſimos huius ſeculi viros, Petrum Bembum, Iacobum Sadoletũ, Andream Alciatum, & in noſtratibus, Melchiorem Viandulum, Hieronymum Verlenium, Nicolaum Nouaterranum non minus venuſtè pinxiſſe litteras, quam latinè & eleganter ſcripſerint.

Poſtremò elegantiores characteres, non ſolum in ſtudijs litterarum, ſed etiam in publicis muneribus & officijs magno ſunt vſui & ornamento: Et in officinis negociatorum: & in magiſtratuum & conſiliorum cancellis, videmus ornatum illum litterarum plurimi fieri, vt etiam ad Reip. elegantiam erudita manus, & ſcriptura elegans pertinere videatur. Quamobrem huiuſmodi commendationibus incitatus tiro, ad eleganter ſcribendi ſtudium, tamquam ad rem ſibi in primis vtilem ſumma incumbet diligentia.

Ante omnia curandum eſt, vt puero litterarum figuræ initio non plures præſcribantur, quam duæ vel tres, quas vbi pingere norit, adijciantur totidem aliæ: ſed quæ ſint vtrique linguæ, Latinæ & vernaculæ magna ex parte communes: quæ quo fuerint ſimpliciores, minusq́ue flexuoſæ, hoc venuſtiores habebuntur: Flexus enim illi aut appendices, difficultates non parum afferunt, fructus vero omnino nihil. Sed de his agendum nunc explicatius.

De Litterarum decore & venuſtate.

Litterarum decor tribus potiſſimum abſoluitur partibus, Figura, Proportione, & Serie. Figura *litterarum duplex eſt, Maiuſcula & Minuſcula, Maiuſculæ, quales fere ſunt in monumentis ſepulcrorum, Romæ potiſſimum, ſcribi debent in principio nouæ ſententiæ, & Nominibus quarumuis rerum proprijs, & vt iam conſuetudine fere receptum eſt, in dictionibus quæ Principatum denotant, Imperator, Rex, Dux, Conſul, Doctor, Epiſcopus, Item, Seruator, Dominus, Deus, &c.*

Sed puer primùm diſcat formare minuſculás, in quibus, & partium ductus, & quomodo pars parti adaptetur, puero ſæpe commonſtretur, verbi cauſſa in c a. lb. c d. poſterior ex priore formatur. Has litterarum particulas puer ſæpe depingi ſpectet, & ſi minus feliciter imitetur, Præceptor manum pueri comprehenſam ducat ac moderetur, donec ad huiuſmodi lineas ritè ducendas, vſu fuerit aſſuefacta.

Proportio *conſiſtit partim in æqualibus litterarum corporibus, & quibuſdam veluti haſtulis, partim in ipſis interuallis. Primum igitur oportet litterarum ipſa inter ſe eſſe æqualia corpora, vt a. e. i. o. u. corpus habent æqualis longitudinis. Haſtulæ vero, & quæ ſurſum prominent vt b. l. k. Et quæ deorſum pendent, p. q. g. omnes equales eſſe debent. In haſtulis præ-*

terea

terea hoc obſeruandum, vt tantumdem habeant longitudinis intra verſus ſpatium, quantum intra, vt in a b. a q. facile fuerit demonſtrare.

Interuallum duplex eſt, quod ſcilicet verbum à verbo, & quod verſum à verſu dirimit. Ergo & verbum à verbo, & verſus à verſu æquali diſtent ſpacio.

Series *exigit vt intra rectas lineas decurrant verſus, nam inæqualitate illa, cum littera litteram ſcandit, nihil tetrius aut deformius. Et quoniam præclarus artifex varias conſueuit commiſci rationes, quibus diſcentium ſtudia adiuuet, profuerit fortaſsis, vt hæc tria facilius obſeruentur, ſi puero exemplar præſcribatur litteris craſsiuſculis inter lineas ad amuſsim atramento ductas, eaque charta ſupponatur chartæ ſcribentis pueri, quæ ſi tenuis fuerit & pellucida inter ductas lineas, litteram litteræ facile pinget ſimilem, & tamen amota charta videbitur ſine adminiculo ſcripſiſſe. Sed de rectè pingendi ratione vide Lud. Viuem Dialogo. X.*

Huic igitur exercitio quotidie incumbent pueri recitatis ſtatim lectionibus, aut alias, ante ingreſſum Præceptoris in ludum, vt illic nihil habeant temporis, laboris vacui, ne aſſueſcant ineptè garrire aut inſoleſcere.

Nec vlla omnino dies abeat, quæ ſcribentes non occupet, vt hanc artem in ſequenti Claſſe magno ſibi vſui futuram, primo quoq; tempore perfectè diſcant.

Vt interim taceam multorum parentes, non minoris facere hanc ipſam ſcitè ac bellè pingendi facultatem, quam litterarum ſcientiam. De Sententijs vero in exemplari præſcribendis dicemus Claſſe proxima.

Porro de inſtitutione Puerorum in Pietate, in Fide, & Chriſtiana Religione dicemus lib. 3. Hactenus igitur de Claſſe VI.

CLAS-

CLASSIS V.

Præceptiones Artium. { *Rudimẽta Grãmatices repetenda* / *Etymologia Grammatices* / *Communiora Præcepta Syntaxeos* } *noſtræ, vel alterius.*

Scripta Imitationis. {
Quotidiani ſermonis formulæ, vel lib. 2. & 3. noſtrorum Progymnaſmatum.
Selectiores elegantiæ ex Terent. Vel Cic. Vel,
Colloquia Corn. Croci, ſed per Valerium recognita. Vel,
Dialogi Ioan. Lodouici Viuis. Vel,
Selectiores eius Epiſtolæ à nobis digeſtæ.
Aut potius, Epiſtolæ ſelectæ virorum illuſtrium per nos etiam nuper collectæ, Ioan. Belleri typis propediem excudendæ.
Leges morales per Eualdum Gallum. Vel,
Fabulæ Aeſopi elegantius conuerſæ.

Diebus. { *Sabbathi* { *Repetitio Præceptorum Grammaticæ.* / *Cantus Gregorianus.* } / *Feſtis, vide Claß. V. Lib. III.* }

De Grammaticæ Præceptionibus.

Principio in hac Claſſe curare debent Magiſtri, vt pueri nihil eorum obliuiſcantur, quæ ſuperiori Claſſe didicerunt. Sed quod in re familiari præcipitur, idem hoc loco diligenter retinendum eſt, vt res partæ retineantur, & conſeruentur, & acceßio fiat & amplificatio opum atque facultatum.

Ergo Primo ſtatim menſe Grammatices Rudimenta repeti debent, & Aduerbiorũ, Coniunctionum, & Interiectionum ſignificationes, quæ in ſuperiori Claſſe omitti poterant, accuratê nũc explicandæ ſunt. Doceantur partes Orationis facile & expeditê internoſcere, earum Attributa vel accidentia, diligenter, planè & apertè, & ſermone ſæpe patrio exponantur.

G *Exerceantur*

Exerceantur quotidie in Nominibus & Verbis inflectendis, ſic enim futurum eſt, vt Secundũ Grammaticæ librum de Etymologia minimo labore ſtatim aſſequantur.

Fiat autem hæc Rudimentorum repetitio antemeridianis duntaxat horis, vt vna lectione temporis Pomeridiani Etymologia, & altera ex ſuperiori Indice libellus aliquis prælegatur, in quo ſuppeditentur Præceptorũ exempla, & Latinæ locutionis formulæ.

In prælectione Etymologiæ, ſi quid forte occurrerit obſcurius, difficilius, aut huic etiam ætati minus neceſſarium, poſtponendum id eſt, donec Præcepta faciliora, neceſſariaque ſemel abſoluerint. Opus eſt enim, cum in huiuſmodi Præceptionibus artium, & breuitate, & perſpicuitate, tum in ipſis Præceptoribus induſtria, vt ſcilicet in hac potiſſimum Claſſe ſingula clarè & perſpicuè interpretentur, eademque ſæpius repetant, & eadem hora, & poſt aliquot dierum interualla, quo pacto creſcente copia non obruetur, nec multitudine augeſcente debilitabitur puerorum memoria, quod ſummopere cauendum eſt.

Ad Præceptorum ergo induſtriam pertinebit diligenter in Grammaticæ præceptionibus diſpicere & obſeruare, quæ ſtatim teneri & ediſci debeant, & quæ vtilius in alios menſes poſtponantur. Vt quæ in Etymologia, Anomala vel Heteroclita appellantur: Et in Syntaxi totam illam rationẽ Syntaxeos figuratæ, malim reijci in menſes huius anni poſtremos, huiuſ-

modi plura fortaßis alia inueniri & notari poterunt.

De Libris propoſitis ad imitandum.

Illud initio hic admonendum, quod tum hic, tum alijs locis ſiue Claßibus plures Auctores imitãdos pueris in librorum Indice propoſuerimus, non id eo factum à nobis cõſilio, vt omnes hi pueris prælegantur, cum, vt ſupra admonuimus, nihil puerorum ſtudijs perinde officiat, atque plures illis proponere Scriptores & libros, quam memoriæ & imitationi poßint tradere.

Sed ex doctorum cenſura indicare voluimus, quæ quibus annis congruere magis videantur, ex quibus tum prudens inſtitutor pro ſuo quiſq; iudicio vnum, aut fortaßis alterum deliget, qui diſcipulorum ætati & profectui videbitur maximè accommodatus, prælecturus vnum priori parte anni, atq; alterum poſteriori, eosq́ue ad verbum ediſcendos cenſuerim, tum vt memoriam exerceant, quæ labore & opere alitur & augetur, & veluti ferrum vſu ſplendeſcit: Quiete vero & otio, non minus quam ferrũ rubigine, corrumpitur: Tum vt illis hinc ſuppetant familiares loquẽdi formulæ, quibus rem quamuis puerilem aut domeſticam, latinè proferre queant.

Præceptoris officium in imitationis ſcriptis prælegendis.

Cum puer haud vmquam magis egeat diligenti & aßidua Præceptoris opera, quam in his Claßibus inferioribus, requirenda iam eſt in Præceptore diſcipu-

lorum ſtudijs multum conſultum cupiente, ſumma & indefeſſa quædam diligentia, ita vt nullum omninò laborem ſubterfugiat, quo puerorum ſtudia vel minimum queat promouere: Difficile enim creditu eſt, tamen verum & mirabile, quam exigua ope diligentis, & induſtrij Inſtitutoris, quantas res, & quam multas, queat aſſequi diſcipulus.

Hæc autem Præceptoris diligentia, cum in alijs multis, tum in his tribus maxime debet elucere. In lectionis ſcilicet explicatione, repetitione, & puerorum exercitatione.

Primùm igitur Inſtitutori hoc ſummæ curæ eſſe debet, vt lectionem planis & apertis verbis, partim latinis, partim vernaculis explicet, ſic vt totius orationis ſententiam puer facile aſſequatur. Idem Vocabula, ſi qua fortaſſe fuerint à primæ ætatis vſu remotiora, paucis verbis explicata pueris dictabit. Vt ſi, verbi gratia, Primũ Dialogum Lod. Viuis enarrandum ſumpſerit, dictabit illis, quid ſignificent verba, Exuſcitare, Ferire, Porrigere, Quid nomina, Subucula, Thorax, Diplois, &c. quæ hactenus pueri forte ignorarunt. Quæ vero faciliora ſunt, & quotidiano colloquendi vſu nota, ne multa prolixitate hæc ætas grauetur, dictari non debent.

Iam & illud ad Interpretis officium pertinet, vt in explicandis Imitationis libellis, præſertim in Legibus illis moralibus, Colloquijs, aut fabulis, excerpantur elegantiores phraſes, & loquendi formulæ fa-

ciliores

ciliores, quæ vt ad vſum puerorum quotidianum facilius adaptentur, dictabuntur illis cum interpretatione vernacula, propria, & aperta. Hac enim opera Tirones in hac Claſſe & duabus proximis, tam diu prorſus indigent, donec exercitatiores ſine hac cortice natare ipſi poterunt.

Sed cum hæc rudibus ſolũ & inexercitatis adhuc in puerorũ inſtitutione Didaſcalis ſcribamus, vt illi, quid velim, facilius intelligant, placuit harum phraſeon & loquendi formularum exempla aliquot proferre, ad quæ ſimilia effingantur. In principio igitur ſuperioris Dialogi, huiuſmodi phraſes decerpantur.

Exuſcitare aliquem à ſomno.

Aperire feneſtras ligneam & vitream.

Iam clarum mane ferit oculos.

Surgere multo mane.

Propior eſt meridies quam aurora.

Porrigere alicui mundam aut recentem ſubuculam.

Cedo mihi thoracem ſimplicem.

Hæc iam ſermone patrio, plano, & dilucido ſunt explicanda.

Huiuſmodi quoque phraſeon luculentam & bene diuitem ſupellectilem ſuppeditabunt Selectiores clarorum virorum epiſtolæ: ſi modo in ijs cũmonſtrandis dictandiſque Præceptores laborem non ſubterfugiant.

Huiuſmodi vero Vocabula & phraſes, dum pueri lectionem recitabunt, diligenter ab ipſis exigantur,

quod ad Latinè loquendum ſcribendumq́; non parum momenti habere ipſa nos rerum magiſtra Experientia docuit. Hoc enim in primis cõſequentur, ne aſſueſcãt à primis ſtudiorũ annis ſermoni barbaro & prorſus inepto, quiq́; poſtea magno labore ſit dediſcendus.

Quamobrem vt hæc accuratius à pueris conſcribantur, & memoriter recitentur, monendi ſunt Præceptorem interpretantẽ, aut aliquid huiuſmodi dictantem, diligenter auſcultare, ſine fabulis, ſuſurris, et contentione, quæ docentis ſtudium vehemẽter impediunt, vt contra Silentium & attentio, prælegẽtis exacuunt diligentiam.

Vt vero attentioribus animis aſſueſcant Diſcipuli auſcultare, det operã Præceptor, ne ſub Prælectionibus vagetur Diſcipulorum animus, incipientẽ iam euagari, ſtatim reuocet, & id agere iubeat quod eſt propoſitum. Nam vt vulgò dicitur, & operam & tempus perdunt, qui ſolo corpore præſentes, animo vagantur, nec ad ea quæ proponuntur, attendunt.

Lectionis in libello Imitationis, examinandæ formula.

I. Totius orationis ſententia, initio ſtatim eſt inquirenda, & ſermone vernaculo explicanda. Deinde ſingularum vocum ſignificatio, ſi ſit ignota, nec à Præceptore dictata, peti debet ex Lexico, cum obſeruatione orthographiæ, vt Aſpirationis, Diphthongi, Accẽtus, & cognationis litterarum. Tum etiam ediſcenda ſunt Latini ſermonis phraſes, quas Didaſcalus dictauit,

quod ad corrigendam barbariem primæ ætatis, & ſermonem latinum exornandum, plurimum conferre exiſtimandum eſt.

II. Excutiendæ iam ſunt ſingulæ Dictiones, Primum cuius partis orationis ſint. Ac tum omnia illius partis Attributa. In Generibus & Caſibus inueſtiganda eſt Regula in Etymologia. In Verbis vero Regula Præteriti & Supini.

III. Inſpicienda iam dictionum Syntaxis in generalibus illis Conſtructionis Regulis, cuiuſmodi Rudimentis noſtris ſub finem curauimus adiungendas.

Hæc eſt breuis expēdendæ Lectionis formula, quæ vt ad manum parata ſemper habeatur, & ſemper ab omnibus huius curiæ diſcipulis retineatur, inſcribetur libro, ex quo lectio eſt recitanda.

De ediſcendo, & excolenda Memoria.

Inter præcipua & neceſſaria diſcentiū officia, ſtudium ſit parandæ Memoriæ, qua ſine labor omnis in ſtudijs inanis eſt, non ſecus quam ſi in dolium pertuſum aquam infundas.

Sed hæc nulla re alia æquè firmatur et alitur, quā Exercitatione, quæ hic tantum momenti habere perſpicitur, vt nulli tam infelix contingat memoria, qui eam non poſſit fideliſſimam reddere Exercitatione & Conſuetudine quotidie multa ediſcendi, Quod ipſum confirmat excellentiſſimus inſtituēdæ Iuuentutis artifex Quintilianus, Si quis ait vnam maximamque à me artem Memoriæ requirat, Exercitatio eſt, & la-

bor, multa ediſcere, multa cogitare, Nihil æquè vel augetur cura, vel negligentia intercidit.

Quod licet ſuperius ſatis dixiſſe videamur, libuit tamen hic denuo repetere, ne forte cuiquam improbetur, quod multa in hoc libro præſcribamus pueris ediſcenda: Quin etiam neceſſe eſt memoriam pueri moderatione Præceptoris adiuuari, quod fiet non ſolum interpretando, quæ ediſcenda ſunt, ſed etiam repetendo. Nec enim licet memoriam pueri prius fatigare, quam res ſit bene cognita, & aliquoties ad intelligentiam reuocata. Hæc modo de memoria dixiſſe ſufficiat, nam eius totius rationem, commoda videlicet incommoda Claſſe quarta perſtringemus.

De modo recitandæ, & à Præceptore diſcutiendæ lectionis.

In recitando duo hæc ad Præceptoris officiũ pertinent. Prius, vt puer omnia clarè, diſtinctè, & expreſſè pronunciet, ſic vt omnes Syllabæ, poſtremæ potiſſimũ clare percipiantur. Poſterius, ne inter recitandum alter alteri quæ ignorabit, clanculum ſuggerat, qua ſpe nihil plerique conſueuerunt laborare.

Reliquum deinde, vt magiſter recitatam lectionem cum diſcipulis expendat, ſingulaque diligẽter excutiat ſequendo ſuperiorẽ examinandæ lectionis formulam. Et cum otium ſuppetit, exerceantur pueri, comparando nomina Adiectiua, eaque nunc ſola, nunc adiuncta Subſtantiuis, Verba item ſæpe inflectant cum obſeruatione Accentuum, & interpretatione verna-

ſula. Ex quo Pueri multiplicem poſtea fructum percepturi ſunt.

De ſubrogandis interdum doctioribus in locum Hypodidaſcali.

Hoc etiam operæpretium duxi hic admonere, vt Diſcipuli qui ſuperioris ſunt Claſsis in toto cœtu, duo vel tres, officio viciſsim quaſi in orbem eunte, audiant examinentque eos, qui ſunt Claſsis inferioris. Vnde hoc emolumenti & commodi conſequentur, vt ſimul & alios inſtituendi ratione condiſcant, & diligentius omnia diſquirere & examinare cogantur. Tum etiam Memoriam renouabunt, & quæ pæne exciderant, altius hoc modo memoriæ affigentur, & inhærebunt firmius.

De Diſputatione, & pingendi exercitio.

Diſputatione frequenti, vt dictum eſt, Præcepta omnia confirmantur. Ea igitur inſtituenda eſt in ipſis Præceptionibus artium, quemadmodum id Claſſe ſuperiori admonuimus. Primis quidem menſibus in Rudimentis, poſterioribus in Etymologia.

Quotidianum præterea pingendi exercitiũ omitti non debet, ſed poſt lectionẽ recitatam, aut pingendum, aut diſputandum, aut danda eſt opera compoſitioni. Præſcribantur pueris exemplaria, quæ pingendo imitentur, non prorſus, vt ita dicam, otioſa, ſed quæ inſignem aliquam ſententiam contineant, qua ad honeſtatem excitentur. Aut clarorum virorum dicta & elogia, aut aliquot celebre adagiũ, cum breui, Latina,

aut vernacula, ſi ea ſit aptior, interpretatione.

Iã quo fructus hinc vberior, ad hos Scriptores perueniat, quilibet die Sabbathi, nomen ſuũ in verſa exẽplaris facie deſcribat, & exẽplar ſuũ cum vicino proximo cõmutet, quæ ſic ordine digeſta in libro chartaceo, altero quoq; menſe memoriter ab ipſis recitentur. Hoc enim modo multas inſignes ſentẽtias & Paroemias ſere nullo labore, frequẽter ſibi vſui futuras, puer addiſcet, nec per hoc quidquã decedet ſtatis lectionibus.

De quotidiana & vtiliſsima Latinè loquendi conſuetudine.

Non eſt tanta Latinæ linguæ difficultas, vt non maxima eius pars, diuturna conſuetudine & vſu, vt ceteræ linguæ omnes, perdiſcatur, ſi modo bene gnarus artifex, et induſtrius obtingat ad hanc cõmonſtrator. Quamobrem viſum eſt hoc loco imperitioribus duo viarum compendia demonſtrare, quibus ad ſummum huius artis faſtigium, facilius queant conſcendere. Prius eſt, Quotidiana latinè loquendi conſuetudo, Alterum vero, Frequens Styli exercitium.

Et prioris quidem tot ac tantæ ſunt vtilitates, vt eas pro meritis difficile fuerit explicare.

Primùm enim, Latinè loquendi conſuetudo huc maximè conducit, vt per eam comparetur facultas expeditè, appoſitè, & conuenienter ſcribendi & eloquendi, quæcunque in animo concepiſti, quæ res vna omnium eſt vtiliſſima & iucundiſſima.

Deinde ad hoc prodeſt, ne ignarus linguæ Latinæ

conticeſcas, aut rubore turpiter ſuffundaris, ſi quando in eruditos & Latinè loquentes incidas, aut reſpondere cogaris.

Tertiò, nō mediocriter eò cōducit, vt excitetur in diſcentibus diligentia obſeruandi, colligendi, & ediſcendi, inſigniores Latinæ linguæ phraſes, quæ, vt diximus, ad comparandam Latini ſermonis elegātiam, via eſt expeditiſſima.

Poſtremò quia magnus vbiq; vſus Latinæ eſt linguæ, ac ſæpe fit, vt ratione vocationis in terras remotas, & ad gentes peregrinas migrare cogamur, vbi ſi nihil aliud afferat Latinæ linguæ cognitio, hoc tamen præſtát, vt nos ipſi Latinè loquentes, poſſimus ab ijs intelligi.

Oēs igitur aſſcripti in hāc Claſſē, & in ſequentes, inter ſe non niſi Latinè loquētur, eaq; cōſuetudo, lege confirmetur, & cuſtodiatur ſeueritate & caſtigatione. Nec vllus ſit veniæ locus, ſi quis hic peccet petulāter.

Iam etſi crebro hallucinentur, tamen linguam ſibi reddent familiarem, & admoniti ſubinde vel à condiſcipulo, vel præceptore, incipient paulatim ipſi quoque errata ſua facilius obſeruare, & loqui emendatius, Dies enim diem docebit. Et vetus dictum eſt. Qui numquam malè, numquam bene.

De exercitatione Styli.

Poſt quotidianam illam loquēdi latinè conſuetudinem, nihil æquè conducit ad parandam extemporariam Latinæ linguæ facultatem & promptitudinem,

quam & multa, & multum ſcribere, multum atramenti & chartæ perdere, & quotidie ſtylū exercere: Cuius exercitationis vtilitatem nullius facundia ſat dignis laudibus efferre queat: Quamobrem viſum eſt hoc loco, de ea paucis dicere, proſecuturi reliqua in ſingulis Claſsibus.

Primùm igitur intelligat Adoleſcens, & credat Præceptori, maximas eſſe poſitas in Styli exercitatione vtilitates. Hæc enim ingenij vires experitur, mentis aciem exacuit, memoriam adiuuat, iudicium format, Linguam expedit, Verborum auget copiam, & purgat, variasque Sentẽtiarum formulas ſuppeditat, Facundiam dicendi ſecum apportat, hæc ſtudiorum cuſtos eſt, cogitationum interpres, mandatorum nuntius, monumentū ſcientiarū. Hæc efficit, vt tarditas celeritatem, ſtupor acumen, natura impedita animum excellentem ſuperet. Huic tandem nihil difficile, nihil arduum eſſe poterit.

Sed in Stylo opus eſt adoleſcentibus Præceptoris opera, vt rerum difficultas, præceptoris explicetur induſtria: Itaque conſideret etiam atque etiam fabricator Styli, ne ſuo vitio iuuenilis fundus calamitatem accipiat, quam non pateretur, ſi habuiſſet præmonſtratorem idoneum.

Sit igitur hoc primum in præceptis, illudque efficiat Præceptor, vt Puer quotidie ſcribat aliquid & componat, Nec ſatis eſſe putet hanc longè vtiliſsimam Exercitationem ſingulis menſibus, aut etiam

hebdo-

hebdomadibus ſemel reuocandā: Sed quotidie aliquid ſcribendum, & adoleſcentis induſtria, magiſtri facilitate, ſcientia & arte eſt adiuuāda, Facilitatis eſt breuia argumenta initio proponere: id quod fieri ſolet patria lingua, & ſermone quotidiano, vt adoleſcens habeat, non quod inueniat, ſed quod interpretetur.

Sed hic duo vitanda ſunt vitia. Prius eorum eſt, qui periodos ſeu ambitus verborum faciunt prolixos, quos ne intelligentia quidem poſſint aſſequi Adoleſcentes. Alterum, quod verba, & ſententiarum formulas non oſtendunt, quibus quod patrio ſermone propoſitum eſt, Latinis verbis & Romanis ſententiarum formulis queant diſcipuli interpretari, quo fit vt planè corrumpant Latinæ linguæ puritatem, omniaq́ue & inuoluant, & obſcurent nouis vocabulis & ineptis loquendi formulis.

Eadem eſt ratio exercitationis in ſcribendo, quæ in cantando, hoc eſt, in Stylo eadem quæ in Muſica. Quis cantoris diſcipulus, cantare queat antequam didicerit niſi Præceptoris adiuuetur præcantatione? Hoc igitur perſpicuum ſit ac certum, Diſcipulū in Stylo non poſſe multum proficere, niſi Præceptoris adiuuetur induſtria ac diligentia.

Sed nunc dicendum de Exercitatione Styli, quæ huic Claſſi potiſſimùm congruere videatur.

I. Primùm igitur Pueri ex libellis ad imitandum propoſitis conuertent frequenter aliquid in linguam vernaculam.

II. Sæpe illis dictabũtur breuiuſculæ quotidiani ſermonis formulæ ſeu ſentẽtiæ: ſed breues & apertæ.

III. Dictabuntur nonnunquam breues & faciles Epiſtolæ, quas conſtituto tempore latinè verſas Præceptori exhibeant emendandas.

Sed quoniam Pueri deſtituuntur initio rerũ vocabulis, operæpretium fore putauerim, vt Sententiæ huiuſmodi & Epiſtolæ dictentur principio ex verbis recitatæ lectionis, mutando in illis Genus, Numerum, Perſonam, Modũ, ac Tempus. Immo etiam, & loca, & res ipſas, quæ in lectione audita tractabãtur, quod ad hanc Styli exercitationem mirificè conducit.

Accendet hoc autem ſcribentium diligentiam, ſi eleganter ſcribendo & componendo, pares cum paribus concertare iubeantur, & quilibet epiſtolam concertantis ſecum accuratè expendat, & errata deprehenſa notet ac reſtituat ſubducta aliqua linea. Vtq; victori victus digniorem cedat in ſua Claſſe locum. Hac enim gloriola, non ſecus ac magno præmio maximè hæc ætas allici & extimulari ſolet.

Si tamen, (vt cetera omnia tempore ipſo tandem vileſcunt) iſtud quoque contemni cœperit, poterit victor calamo, pomo, vel alio huiuſcemodi donari munuſculo, quo diſputationis ac certaminis victorem donandum ac condecorandum ſuperius diximus.

De Scriptura Epiſtolari.

Ignorantia puerilis ſæpe minutiſsimis litteris vtitur, & anguſtiſsima inter verſus relinquit ſpacia.

Verba

Verba verbis nullo interuallo ſic alligat, vt ſinguli verſus ſingulas tantum voces habere videantur, nulla moræ reſpirationiſq́ ſigna figit, nullum ponit elementum maius, perpetuo contextu ſine diſcrimine ducit orationem: qua de cauſſa neque Scriptor, neque Arbiter ſcripta perſpicere: nec hic, nec ille, ſpacijs excluſus iniquis adijcere quidquam, neque à verſu verſum, neque à verbis verba ſeparare poteſt.

Hoc nimirum ſcribendi genus officit emendationi, mentis oculos hebetat, omnemq́ue miſcet & obruit intelligentiam, parua in re ſæpe grande momentum: Quid enim minus operoſum eſt, quam pingere obtuſiore calamo, & litteras efficere ac depingere grandes, vt oculis ſubijci, facile cognoſci legiq́ue poßint?

Quid facilius eſt, quam ſulcos & ordines longè diducere, vt ſi fuerit opus aliquid interſeratur? Quid minoris eſt operæ, quam principia ducere à littera magna? Exitus autem inter puncta, nota, quaſi termino finire? vt quo loco ſiſtendum ſit atq; reſpirandum, nouerit, & Auctor, & Caſtigator. Quid? quod diſtincta & expreſſa ſcriptura relegenti iucundior eſt, & hac veluti voluptate capti ſæpius antedicta recognoſcimus, & priora poſterioribus aptamus.

De Dictatis Diſcipulorum emendandis.

In Dictatis Diſcipulorum emendandis non parua aut indiligens adhibenda eſt diligentia. Eſt enim emendatio pars ſtudiorum vtiliſſima, huius operis Adijcere. Detrahere, Mutare, Quæ omnia erunt ætatibus,

tibus, & diſcentium gradibus accommodanda.

Neque enim vitia ſimul omnia vellicanda ſunt, ſed aliâs alia, nunc tantum notabilia, neque pueri ſæpius reprehenſi animũ deſpondeant: Quod ne fiat, initio multa toleranda ſunt, pleraque molliter lenienda, aut illuminanda, interponendo aliquid ſui.

At ſi tam negligens alicui ſtylus fuerit, vt emendationem non recipiat, proderit eandẽ tunc materiam de integro iubere retractari, indicando illis errata paulo craſſiora, Leuiora vero, vel tolerabũtur adhuc, vel adminiculo aliquo curabuntur.

Cum vero omnium compoſitio, per temporis anguſtiam legi non queat, legetur vnius aut alterius, aut certè paucorum, vt ex ea reliqui errata ſua perſpiciant atque emendent.

De Lectione priuata.

Iam verò ne pueri è ludo dimiſſi domum, aſſueſcãt otioſi, vt fit, huc illucque concurſare, & tempus, quo, vt nihil fugacius, ita nihil quoque precioſius, vel otio, vel luſu, ſine ſtudiorum fructu inutiliter tranſigant, moneri debent, vt domi Lectioni, Scriptioni, ſeu Compoſitioni ſedulò nauent operam, memores illius, quod aiunt Platonem è diſputatione diſcedentem ſolitum fuiſſe admonere. Videte pueri, vt otium in re quapiam honeſta collocetis.

Præterea quoniã non omnia, quæ didiciſſe & ſcire oportet, in his ſcholis poſſunt prælegi, ipſe etiam Diſcipulus ſeſe docebit, legendis bonis Scriptoribus, &

Præceptorem

Præceptorem docentem adiuuabit tamquam tiro militem, qui non ſolū exerceri à magiſtro vult, ſed etiam pro ſe & magiſtro, totoq́ue pugnat exercitu.

Vt igitur hic tiro diſcere & pugnare paratus eſt; Ita etiam hic diſcipulus, & audire & legere volet, & domi plura legere, quam in ludo publico audire poterit. Ignauum eſt enim nihil ſuopte Marte contendere.

Itaq; bipartita ſit Præceptoris opera & induſtria, vna vt doceat, quæ magis ſunt neceſſaria, altera vt moneat ſubinde, & præcipiat quid ipſe diſcipulus domi legere debeat.

Bipartitū etiā Diſcipuli officiū eſt, vnū, vt diſcat à Magiſtro quæ accipit: Alterū vt ſeſe ipſe domi doceat. Sēper domi habeat, quod legat, quod cōmentetur, quod ſcribat, quod ad cōparatas facultates accumulet.

Pro lectione igitur quotidiana penſum fixum habeat, ſibiq́ue ſi quid de lectionis penſo omiſſum fuerit, etiam mulctam iniungat. Lectio non varia quotidie, ſed ſimplex, certa, & vnius fere generis eſſe debet, eiuſq́ue præſertim Scriptoris, cuius in ſcribendo nos ſimiles eſſe velimus: Eum autē Ciceronem nemo dubitat, cum etiam auctore Fabio: Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit. *Qua de re copioſius egimus libro ſecundo de conſcribendis Epiſtolis.*

Hoc igitur Præceptoris ſit, admonere ſubinde, quid cuiuſq; Claſſis diſcipulo legendū ſit domi, præſcribereq́ue, qui Scriptores ſeu libri in publicum Scholæ vſum, quiq́ue in priuatū ac domeſticū ſingulis annis ſint cō-

Iam vt rerum notarum vocabula, ſimul ac phraſes quotidianæ citius compararentur, profuerit fortaſſe ex linguæ Latinæ Tirocinio Pet. Apherdiani ediſcere, ac recitare quotidie præfixo in hoc tempore ac hora, decem vel duodecim vocabula. Aut ſi libellus iſte videbitur forſan iuſto prolixior, decerpantur ac notentur in eo vocabula ſelectiora, & , vt dixi, rerũ notarum, minusq́; à quotidiano vſu remota. Si quis hũc nolit in ſchola prælegi, ſeruat priuato cuiusque vſui.

Diebus Sabbathi.

Exercitiorũ omniũ primũ & ſumme neceſſariũ in qualibet Claſſe eſt diligens auditæ lectionis repetitio; Lectio enim non repetita, non multũ diſcentem adiuuat, vt veriſſimũ dixiſſe videatur, quiſquis ille fuit. Lectio non repetita perit, repetita manebit.

Die igitur Sabbathi antemeridianis horis, & hora prima promeridiana, repetenda ſunt omnia, quæ ſuperioribus diebus ſunt enarrata.

In repetẽdo vis, & origo, & propria vocabulorum ſignificatio. Item phraſes elegantiores, Sententiæ inſignes, aut prouerbiales, & his ſimilia diligẽter debent obſeruari, & vel ſubductis lineis, vel alijs ſignis ſtudioſè notari. Si quid occurrerit, dubium, vel non ſatis intellectum, appoſito ſigno aliquo annotetur, & conſulatur de eo Inſtitutor.

Hora quarta pomeridiana pergendũ in Cãtu Gregoriano, quẽ diutius exerceri, quã doceri, neceſſe eſt. Sed de hoc ſatis Claſſe ſuperiori nos dixiſſe exiſtimamus.

CLASSIS IIII.

- **Præceptiones Artium.**
  - *Etymologia repetenda, cum Supplementis huic Claſſi vtilioribus.*
  - *Syntaxis accuratè prælegenda vſque ad Supplementa.*
  - *Compendium de conſcribendis Epiſtolis, noſtrum, vel alterius.*
  - *Græcorum libellus Alphabeticus.*
- **Auctores Imitationis.**
  - *In proſa.*
    - *Selectæ M.T Ciceronis Epiſtolæ, Scholijs noſtris illuſtratæ.*
    - *Iſocratis ad Dæmonicũ parænesis Latinè, Vel,*
    - *Introductio Lod. Viuis ad Sapientiam. Vel,*
    - *Dialogi morales Laurentij Campeſtrij.*
  - *In carmine.*
    - *Iac. Sannazarius de partu Virginis, Vel,*
    - *Diſticha ſelectiora ex Catone, & Mich. Verino, Vel.*
    - *Verſiculi ſentẽtioſi in locos communes digeſti.*
- **Diebus.**
  - *Sabbathi*
    - *Repetitio Præceptionum.*
    - *Cantus Gregorianus.*
  - *Feſtis, vide lib.3. Claſ.4.*

De Præceptionibus Artium.

Antemeridianis horis diligenter initio vna ſaltem lectione Etymologia repetatur, nec in ea quidquam iam prætermittendũ. Quinetiam indicanda ſunt pueris, &, ſi ſit opus, enarrãda interdũ Supplementa ſeu Annotationes, huic Claſſi vel neceſſariæ, vel vtiles.

Repetitio vero hæc intra menſem abſoluatur, cui rectè & vtiliter ſucceſſerit Epitome ſeu Iſagogicon alicuius de conſcribendis Latinè epiſtolis, vt illarum artificium paulatim incipiant deguſtare. Tum etiam vt Ciceronis Epiſtolæ maiori cũ fructu prælegantur. Tale fortaſſis fuerit opuſculum de conſcribendis epiſtolis à nobis conſcriptũ, & Antuerpiæ ab Ant. Thilenio excuſum.

Iam

Iam etiam conſuetũ fuerit dictare tironibus Tropos aliquot, quorum ſcilicet frequẽtior apud Scriptores vſus eſt, cuiuſmodi ſunt Metaphora, Metonymia, Synecbdoche, Enallage, Allegoria, vt variandæ orationis formulas incipiant nunc etiam obſeruare, ſibiq́ue hoc modo aditum aliquem ad Verborum copiam patefaciant.

Poſteriori vero antemeridiana lectione enarretur Syntaxis, vſque ad ipſius Supplemẽta: Nam ea cum ijs quæ reliqua ſunt in Etymologiæ Supplementis, reijcienda ſunt omnia in Claſſem proximè ſequentem.

Alphabetum Græcorũ poſterioribus primùm huius anni mẽſibus, & tum vel horis ſucciſiuis, vel vacationum tempore pueris proponendum eſt, ex quo diſcant nihil adhuc aliud, quam expeditè Græcè legere, & Græcas formare litteras, eoq; laudibus vel munuſculis inuitandi ſunt potius, quam valde cogendi.

De Scriptoribus Imitationis.

Hactenus fere nihil veterum Auctorum in Scholam recepimus, ſed tantum faciliora & puerilia recentium Scriptorum opuſcula, aut ex veteribus ſelectiores quaſdam Sententiolas & latinè loquendi formulas, quæ vel ſingulis, vel certè binis membris comprehenſæ ſunt.

Iam vero facto aliquo temporis interuallo, iactisq; vtcunque primis Grammaticæ fundamẽtis, paulatim ad Veterum Auctorum ſcripta tranſeundum eſt. Inter quos nemo melius M. T. Cicerone *cum propter*

res quas explicat, tum propter Copiam. In primis vero propter puritatem ſermonis Latini, ſed tamen deligenda ſunt ex eius Scriptis, quæ magis conueniant ætati, & intellectui puerili.

Vt igitur puer habeat, quod in conſcribendis Epiſtolis (vnde Stylus conſueuit ſuum principium ſumere) poſſit vtiliter imitari, prælegi debent pueris Selectiores aliquot & magis ceteris familiares Ciceronis Epiſtolæ: quæ cum ſint vtiliſſimæ, ſingulis prius dictionibus, loquendique formulis bene obſeruatis & diſcuſſis, etiam ediſcendæ ſunt, & memoriter recitandæ: quibus ad finē perductis, aliud ſuccedat ex ſuperiori catalogo, quod huic ætati ſit attemperatum.

Hora quarta Carmen aliquod proponatur, ſed facile & Sententioſum, cuiuſmodi ex Catonis & Mich. Verini diſtichis optarē nonnulla ſeligi, quibus Ouidij de Nuce Carmen non male ſucceſſerit.

Conſueuerunt nonnulli his ſtatim annis obijcere Pueris Bucolica Virgilij, & Comœdias Terentianas: Sed illa adhuc difficiliora mihi viſa ſunt, & rectius in annum proximum poſtponenda. Hæ vero, præterquam quod multos habeant Archaiſmos, & Helleniſmos, ſeu Cōſecutiones Græcanicas, aliaque complura pueris non temere, aut vbiuis imitanda, etiam piorum ac prudentium virorum iudicio, officiunt in hac lubrica ætate bonis ac caſtis puerorū moribus, vt quæ de ſtupris virginum loquantur, & amoribus meretricum, & vt Lactantius ſcribit: Quo magis ſunt elo-

quentes qui flagitia illa finxerũt, eo magis ſententiarum elegantia perſuadent: Nequitia etenim cum dicendi facultate coniuncta maximè omniũ Reip. pernicioſa eſt, & exitialis.

Pernicioſius vero nihil, vel cogitari poteſt, quàm nudum & liberum adhuc puerilem animum, qui optima quæque re primùm imbuendus eſſet, amoribus, laſciuijs, fabellisque imbuere. Huiuſmodi igitur comicas & laſciuiores veterum fabulas non temerè in Chriſtianorum Scholas admittendas duxerim.

Quod quamuis ſciam multis nequaquam approbandum: ſed potius puerile, aut etiam ridiculum viſum iri: diſcipulorum tamen ſalutis habendæ ratio multo potior videri debet. Nec quidquam perinde cauendum vel metuendum, quam ne quid audiat hæc ætas vel legat, quod puras puerorum & caſtas mentes amoribus inficiat. Seduloq́; ob hæc prouidendum, ne quis habeat vel domi, vel in ſchola, obſcæniores aliquas picturas. Item Scriptores ſeu libros ſpurcos, pietati & moribus pernicioſos, ex quibus ad nequitiam & improbitatem illici quis poſſit. Vel deniq́; hæreſeos labe contaminatos, qui diſcipuli animũ adhuc ſimplicem, impijs de Fide, & Religione Chriſtiana opinionibus ſtatim peruertant.

Modus examinandæ Lectionis.

Vt quiſque ad ſuperiorem Claſſem altius conſcendit: ita in lectione quoque diſcutienda, ſublimiora debet perſcrutari. Cognitis igitur iam illis, quæ faciliora

ſunt, ac mediocriter exercitatis, ſtatim obuia, talis iam ſeruetur excutiendæ lectionis formula.

I. Inſpicietur lectionis enarratæ argumentũ ſeu ſummarium (vt vocant.) Si Præceptor nullũ dictauerit, lectio tota accuratè ſemel perlegatur, ita vt vniuerſam ſententiam mente fere comprehendas: Ac tum ſtatim oratorius ille verborum ordo in Grammaticum ac naturalem eſt diſſoluendus, cum latina ſimul ac vernacula totius Sententiæ explicatione, atque hæc rerum eſt conſideratio.

II. Excutienda ſunt cuiusque vocis Analogia & Attributa ſeu Accidentia, vt Genus, Inflexio, Præteritum, Supinum, & ſimilia, maximè ſi ea ſuis Regulis catholicis non comprehendantur, ſed ad exceptiones referãtur. Item quæ Heteroclita, Anomala vel Ecliptica.

III. Iam ipſa Syntaxis, & totius Conſecutionis ratio eſt inquirenda, & ad quam Regulam Conſtructio quæque pertineat, ſit ne Analoga Syntaxis, an Anomala ſeu nouata & figurata.

IIII. Inſpicienda eſt vocum ſingularum Etymologia, origo, poteſtas, & ſignificatio, propria ne ſit an tranſlata, eaque ſi non ſatis nota ſit & aperta, in Calepini vel alterius lexico inquiri debet, & paucis verbis inſcribatur recitandæ lectionis margini, vel inſertæ chartulæ.

V. Poſtremo iam Phraſes & elegantiores latinè loquendi formulæ accurata diligentia ſunt obſeruan-

dæ: Diſcendarum enim linguarum ratio, partim in verbis ſimplicibus, partim in coniunctis ac compoſitis ſita eſt. Quæ igitur Phraſes in Auctoribus ſatis manifeſtæ ſunt, ſubducta linea debent annotari.

Quæ vero obſcuriores, inſcribendas margini Præceptor dictabit, ſed illas duntaxat, quæ inſigniorẽ aliquam præ ſe ferunt elegantiam, & vſum apud eruditos multum frequentem. Eſt enim modus aliquis in huiuſmodi retinendus, cauendumque ne multitudine vel obruantur, vel onerentur imbecilla adhuc tironum ingenia.

Eſt autem Phraſeon obſeruatio omnium vtiliſſima: Quamobrem vt ad eam omnes alacrius excitentur, velim illud Iulij Cæſaris dictum, maiuſculis litteris tabellæ inſcriptum Scholæ & Cubiculi parieti vel muro affigi, vt ſtudentium oculis ſemper obuerſetur. Illud vero ſic habet.

Origo Eloquentiæ eſt delectus & obſeruatio Vocabulorum & Sententiarum. *Cuius è regione hæc aurea Priſciani Regula affigatur.*

Quamuis Regula concedat dicere, tamen niſi in vſu inueniamus Auctorum, non temere debemus proferre.

Ex quibus intelligimus, Latinè diſcere, nihil pæne eſſe aliud, quam obſeruare, quemadmodum optimi Auctores locuti ſunt.

De ediſcendo, & varijs Memoriæ commodis & incommodis.

Qui Lectionem modo, quo diximus, diligenter iam excuſſerit, labore pæne nullo, vel certè minimo, eandem iam queat ediſcere, quod ad expeditam Latinè loquẽdi facultatem, vim, & momentum habet longè maximum. Sed cum nullus abſque Memoriæ beneficio, facile vel ediſcere queat, vel quæ iam ſemel edidicerit, diu in mente conſeruare, viſum eſt hic rurſus de tam excellenti naturæ dono paucis diſſerere. Dicam igitur primum, & id paucis, quam ſit ſtudioſo litterarum Memoria neceſſaria. Deinde quibus offendatur, & poſtremo, quibus iuuetur ſeu conſeruetur.

Principio igitur à ſummis viris ſcriptũ legimus, & res ipſa docet, Memoriam inter humanæ naturæ commoda non immerito locũ primum ſibi vendicare, vt quæ ſit totius Eruditionis & Prudentiæ veluti theſaurus quidam, quo ſine vix quemquam in virum excellentem videmus emergere, cum fere tantum quiſque ſapientia eniteat, quantum eminet Memoria. Nec ſanè illud ab re putemus eſſe, quod Poëtæ Sapientiam Memoriæ filiam eſſe finxerint, eamque ingenij, diſciplinarum, & Sapientiæ Deam, ex ipſius ſummi Iouis cerebro prognatam eſſe.

Inter ea vero quæ Memoriam maximè omnium exiſtimantur lædere, ſunt morbi inuadentes humanũ cerebrum, propter quos, nonnulli Memoriam omnem perdidere.

Deinde Frigus et Humiditas, & è cõtrario Immodicus calor, & nimia ſiccitas Memoriã poſſint lædere.

Noxius eidem, profundus, ac nimius ſomnus, & potiſſimum diurnus, nec etiam multo minus immoderata vigilia.

Grauiter eandem offendunt immoderatior potus, Vinum immodicum, violentum, & vaporoſum, tum etiam denſa cereuiſia.

Item Cruditas, crapula, paſtus omnis immodicus, ciborum repletio.

Huc & nocturna, immoderata, & intempeſtiua ſtudia pertinent.

Adhæc Cibi omnes ad concoquendũ difficiles, Iurulenta, & liquidiora edulia.

Præterea Frigida, & nimis calida, Omniaque vaporoſa, cruda, pinguia &c. Cæpe, porrum, raphanus, & omnia fere legumina,

Lac, Caſeus, Nuces, Frigida olera, Acetum, & acetoſa, Piſces viſcoſi & ſtagnantes, & quos vocant lacunales.

Nocent eidẽ Venti Auſtrini & pluuioſi, Omniaq́, quæ phlegmata in humano corpore multiplicant.

Quo etiam pertinet, multa quies, quod calorem capitis debilitet, & ſuperfluitates in corpore retineat & aggrauet.

Item Lacus, flumina, & loca omnia vliginoſa, cubicula humida, frigida, & reumatica.

Poſtremo, grauiores omnes affectus, animiq́ue perturbationes, Ira, Moeror, timor, & ſolicitudo omnis immoderatior.

Atque hactenus de Memoriæ incommodis, quorum rationes ex Medicorum libris ſunt perquirēdæ.

Quæ vero Memoriam adiuuant, *pleraque à contrario cognoſcentur.*

Iuuatur Memoria, bona gubernatione valetudinis, Exercitatione moderata, & Ordine.

Plurimum Memoriæ conducit moderata ciborum abſtinentia.

Cibi potusq́; certa quædam ratio, & certa electio.

Cæna parcior, Somnus moderatus, nec ſtatim à cœna inchoatus.

Ante prandium & cœnam moderata corporis exercitatio.

Animus à curis, ſolicitudine, mœrore, metu & ira vacuus.

Gaudiū temperatum, & honeſta omnis oblectatio.

Remiſſio quædam ſtudiorū, ne labor ſit cōtinuus.

Diligenter legere, lectaque, & audita, vel cogitata ſæpe repetere.

Cicero Memoriā vult exerceri ediſcendis ad verbum quam plurimis & noſtris ſcriptis, & alienis.

Ordinis quoque obſeruationem plurimum conferre Memoriæ facile ſentimus dum corpus in membra, oratio aliqua longior in ſuas partes, vel tractatus in capita, & denique ipſa capita in Concluſiones diuiduntur.

De Styli exercitio, & eius vtilitate.

Ad comparandam Latini ſermonis facultatem,

nihil perinde conducit, vt diximus etiam ſuperius, atque frequens & diligens Styli exercitium? Nec aliud volebat Anaxagoras cum diceret, Manum Sapiētiæ cauſſam eſſe, quam artes omnes vſu comparari, ocioq; ingenia ſteriliſcere.

Itaque tantum tribuit Stylo M.T.Cicero, vt optimum & præſtantiſſimum dicendi effectorem & magiſtrum eſſe ſcripſerit, ſolitusque ſit per otium alias è Græcis Latina facere, alias declarare, alias noua cudere: qua induſtria & ingenij vim & vigorem tuebatur, & locupletabat facundiam, vt alicubi non obſcurè ſignificet, ſe beneficio Styli, quidquid eximij in Eloquentia habeat, eſſe conſecutum.

Accendant igitur Iuuētutem ad diligentius Styli exercitium grauiſſimorum virorum teſtimonia & auctoritas, maxime vero Ciceronis Eloquentiæ Romanæ longè principis.

Principio igitur ad Styli exercitiū non minimum contulerit, ſi Tirones recitatam orationis ſolutæ lectionem vertant in ſermonem vernaculum.

Adhæc ſi primo die cuiusque hebdomadis operoſo, dictetur aliquid ſermone patrio, quod ſub finem eiuſdem exhibeant latinè verſum. Atque huius multiplex eſſe poterit argumentum.

De multiplici Styli argumento.

Epiſtola aliqua, vel elegans narratiuncula.
Similitudo, vel Apophthegma.
Dialogus, vel fabula Æſopi, vel alterius.

Loci

Loci aliqui hiſtorici. Cuiuſmodi fuerint.

De { *Damone & Phutia, ex Cicerone.*
Furio & Chriſmo, ex Plinio.
Papyrio & Prætextato, ex Gellio.
Icaro & Phaetonte, ex metam: Ouidij

Doctrina aliqua de ciuilitate morum.

Prolixiores ex Seneca ſententiæ, quæ à vitijs deterreant, & excitent ad Virtutem. Dictum vel factum aliquod memorabile ex Valerio Maximo, vel Baptiſta Fulgoſio, qui Valerium nō infeliciter eſt imitatus.

Epiſtola vel breuis Dialogus ſæpe & vtiliter prælegetur ex verbis recitatæ lectionis, mutatis partium orationis Accidentibus ſeu Attributis. Item Perſonis, Locis, & ipſis rebus, vti diximus Claſſè ſuperiori. Sic enim fiet, vt pueri lectionem altius infigant menti, & quæ audierint, quotidie ſtatim in vſum proferant.

Ante omnia vero illud meminiſſe oportet Doctorem Grammaticum, vt ſecundum cuiusque vires præeat. Incipientibus enim danda eſt materia abſoluta, ac velut præformata, quam Latinam faciant; Progreſsis non abſolutè pertractata, vt aliquid relinquatur ipſorum inuentioni. Adultis vero & doctioribus, quique ſe ſatis ad exemplum compoſuiſſe videbuntur, nudæ ſolum theſes proponendæ, ne ſemper alienum laborem ſequentes, nihil ipſi ſuis nitantur viribus.

Rudioribus ea potiſſimùm proponenda, quæ illi

ætati, velut illecebræ blandiantur. Id fiet, ſi vel noua ſint, vel faceta, vel alioqui puerorum ingenijs accommodata. Neque enim ſemper neceſſe eſt, vt Præceptor ſe inueniendi labore fatiget, cum huiuſmodi ex Fabulis Poëtarum, ex Hiſtorijs, & aliorum Epiſtolis abunde peti queant.

De Puerorum dictatis emendandis.

De emendandis dictatis à Præceptore, obſeruare oportet, quæ diximus Claſſe ſuperiori, & quæ eadem de re dicemus in ſequentibus. Sunt enim in ijs multa toleranda, donec maturior accedat ætas, & longior in his ſtudiis progreſſus. Grandiora illa & aperta Etymologiæ & Syntaxeos vitia diſsimulari diutius non debent, hoc eſt, in quibus eſt manifeſtus vel barbariſmus, vel ſoloeciſmus. Tum etiam ea paululum ſunt obſeruāda, quæ vel nimis obſcura ſunt, vt intelligi vix queant. Aut nimis horrida, aſpera, hiulca, aut alioqui inornata, quamquam ea adhuc modice. Exemplo Fabij, qui pueris licentius aliquid auſis, dicere ſolebat, ſeſe adhuc laudare illud, Venturū tempus, quo idem non permitteret: Ita & ingenio gaudebant, & iudicio non fallebantur. Relinquendum igitur hoc tempore aliquid Diſcipulorum ingenijs, quod dies ac ætas ipſa ſuo poſt tempore corriget.

Porro tardiores etiam falſis ſubinde laudibus ſunt excitandi, exemplo Medicorum, qui ſæpe laudant in ægrotis colorem, oriſque habitudinem, non quod tales ſint: ſed vt arte facilius tales reddantur: Sic contra

ſua

ſuæ ſponte currentes coram omnibus interdum laudari debent, vt gloria quadam, quaſi laboris ſui præmio affecti, alacrius in hoc ſtudio pergant, & eorum exemplo ceteri ad litterarũ ſtudia magis incitentur. Nec minus pudor, & laudis ſtudiũ pueris neceſſaria ſunt, quam equis frenũ & calcaria, vt & vieiſſe gaudean, & victi doleant.

De Studio priuato.

In ſtudio priuato maxime omnium commendatur diligens auditorum in Schola repetitio: Et cum in hac Claſſe danda ſit opera, vt Tirones Etymologiæ, & Syntaxeos Præcepta, priuſquam conſcendant ad Claſſem proximam abſolutè & perfectè calleant, ſedulam nauabunt operam, vt quidquid lectio publica in ſchola ipſos in hac parte non docuerit, id ſuppleat lectio priuata.

Quod tum reliquum eſt temporis, tribui poteſt Compoſitioni, ſi quid forte à Præceptore dictatum vel præſcriptum ſit, vel certè eorum lectioni, qui de Romani ſermonis elegantia accuratius ſcripſerunt: In quibus eſt in primis Laurentius Valla, qui tamen cum pro captu huius adhuc ætatis ſit difficilior, comparanda potius fuerit in vſum priuatũ Laurentiana Epitome cum adiuncta Farragine Corn. Croci. Id vero curæ ſit Præceptori, vt Diſcipuli vtrumque multa lectione reddant ſibi familiarem.

Admonebit tamen ſubinde Didaſcalus ne ita nitantur Grammaticorum Differentijs, vt non potius

proprium

proprium Latinarum vocum obſeruent vſum, quem penes, vel Flacco teſte, arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Vtiles præterea fuerint elegantiores Latinè loquendi phraſes Aldi Manutij Iunioris, illis potiſſimum, qui ſtudent Epiſtolarum, aut orationis alioqui ſolutæ elaboratiori compoſitioni, nihil adhuc vidi in eo ſcripti genere, quod magis arrideret.

His non abſimilis eſt Methodus formularum Latinæ linguæ Petri Apherdiani, qui Latinæ locutionis phraſes in locos communes digeſſit; Huiuſmodi igitur libellis Tirones initio vti poterunt, cum epiſtolam iam ſemel Latinè ſcriptam ſtudent elegantius adornare.

De libro Styli ſeu Argumentorum.
Item. De duobus lib. Locorum communium, Sermonis & Rerum.

Nunc agedum huc adſint, & attentas aures præbeant, qui ſtudijs ſuis ſumptu non magno, & labore exiguo, ſupra quàm dici queat, conſultum velint. Id autem in eo poſitum exiſtimauerim, ſi huius Claſſis tirones, vbi Syntaxim cognorint, & mediocriter in componendo exercitati fuerint, comparent ſibi duos vel tres libros chartæ vacuæ decenter concinnatos.

Horum primus inſcribitur, Liber Styli vel Argumentorum, *in quo ſcilicet deſcribentur Epiſtolarum argumenta, quæ vel in hac Claſſe, vel in ſequentibus dictabuntur, eaque primùm vernacula, ac*

deinde Latina, vt à Præceptore ſunt emẽdata: Quorum in poſterum frequens, ſi bene conſeruentur vſus eſſe poterit.

Alter vero Liber inſcribatur, Loci communes Sermonis ſeu Phraſeon. *In eoque deſcribantur elegantiores loquendi formulæ, de quibus egimus ſuperius, in ratione ac modo examinandæ lectionis. Inſcriptiones vero ſeu huiuſmodi locorum tituli petantur ex Manutij phraſibus, & Apherdiani methodo, tum etiam ex Verborum copia.*

Vocantur à nonnullis huiuſmodi loci communes, Ephemerides, & latinè Diaria, quod quotidianis auctibus locupletari debeant. Quiſquis enim in optimorum Scriptorum lectione verſatur, niſi ex ijs quam plurima, tamquam floſculos carpat ac delibet, & in hæc ſua Diaria tamquam in fauos comportet, ſero admodum aut nunquam huius linguæ fructus præclaros edet.

Sunt enim Diaria hæc adoleſcenti ſtudioſo, quod diligenti patrisfamilias arca pecuniaria, in quã crebro, ſi modo diteſcere velit, aliquid conijciendum eſt. Debet igitur horum librorum diligentior eſſe cuſtodia, quam facultatũ: Sunt enim cuſtodes Memoriæ, ſunt teſtes diligentiæ, ſunt defenſores cõtra accuſatores Diſcipuli & Magiſtri.

Tertius vero liber ceteris maior inſcribetur, Loci communes rerum ſeu Sententiarum, *qui cum in pueris aliquam Iudicij maturitatem requi-*

rat, rectius adhuc ſeponetur in annum, & Claſſem proximam.

Priores vero duo, quolibet die Sabbathi exhibeantur Præceptori inſpiciendi, vt diligentiores collaudet, ſegniores aut negligentes ad hoc tam vtile ſtudium cohortetur.

De diebus Sabbathi.

Repetitio & Cantus inſtituantur diebus Sabbathi, vt ſupra, admonuimus. Nunc ad Claſſem proximam.

CLASSIS III.

- *Præceptiones Artium.*
  - *Latinæ*
    - *Syntaxis repetenda, cum Supplementis neceſſarijs.*
    - *Proſædia, vſque ad Supplementa noſtra, vel alterius.*
    - *Tropi & Schemata Grammatica.*
    - *Compendium Copiæ Verborum.*
  - *Græcæ*
    - *Fundamenta Græcâ Georg. Macropedij.*
    - *Declinandi & cōiugandi formulæ ex Clenardo per Petrum Vandoclæum.*
    - *Educationis puerilis pars prima.*
- *Auctores Imitationis.*
  - *In proſa.*
    - *Epiſtolæ Ciceronis Familiares.*
    - *Liber ſextus Accuſationis Verrinæ.*
    - *Ciceronis Cato. vel Lelius.*
    - *Plutarchus de educatione liberorum, Latinè.*
  - *In carmine.*
    - *Sententiæ veterum Poëtarum.*
    - *Epigrammata Martialis opera Emundi Augerij repurgatius ædita.*
    - *Bucolica Virgilij.*
- *Diebus.*
  - *Sabbathi*
    - *Repetitio Præceptionum.*
    - *Cantus Gregorianus.*
  - *Feſtis, vide lib. 3. Claß. 3.*

De Artium Præceptionibus.

Præceptiones Artium non omnes ſimul prælegi poſſunt, nec debent, ſed prioribus abſolutis inchoandæ ſunt aliæ pro cuiusque Præceptoris iudicio, & diſcipulorum vtilitate.

In hac Claſſe danda omnino eſt opera, vt primis ſtatim menſibus, pæne ad vnguem, quod dicunt, teneant Præceptiones omnes Etymologiæ & Syntaxeos, vnà cum Annotationibus magis neceſſarijs, nec pergendum, niſi hæc omnia fideliter prius didicerint, quod, vt primo etiā menſe fiat, tribuantur huic

ſtudio

ſtudio ambæ lectiones antemeridianæ. Vt mēſe Secundo accedat Proſoedia enarratio, quam intra tres vel quatuor hebdomades facile queant abſoluere.

At vero Proſoedia iam abſolutæ ſubijciatur libellus aliquis de Rhetoricis verborum modis, hoc eſt, de Tropis, & Verborum Rerumque ornamentis, quæ, Schemata appellantur, præceptione quidem modica, ſed exemplis illuſtribus. Quorum omnium cognitio tum ad vberiores fructus ex libris Imitationum percipiendos, tum ad compoſitionis ſtudium plurimum conducet.

Cum his vero Figuris adiungatur Compendiū aliquod Copiæ Verborum, ex quo eandem Sententiam diſcant multifariam latinè variare. Huiuſmodi Copiæ compendium fuerit quod nuper vidimus adiunctum Georg. Macropedio de conſcribendis Epiſtolis.

Lectione vero poſteriori, Elementa linguæ Græcæ proponantur, vna cum breuioribus aliquot Sentētijs, cuiuſmodi ſi faciliores haberi non queant, ſunt Phocylidis, Theognidis, aut Pythagoræ, vel harum loco Æſopi aliquot fabulæ prælegi poterunt.

Ex Rudimētis linguæ Græcæ diſcant ſtatim Nominum & Verborum Inflexiones. At in huiuſmodi Sententijs, vel alio libello breui & facili incipiant iam nunc obſeruare Declinationum & Coniugationum diſcrimina, & Rudimēta percepta in vſum proferre. Breuiter hic eadem ſeruetur docendi ratio, quam in Latina Grammatica admonuimus obſeruandam.

Porro quod ad Græcas litteras attinet, vtriuſque linguæ ſtudium coniungendum eſt. Nec enim Latina ſine Græca: nec Græca ſine Latina explicari & tradi poteſt: Sed his temporibus Latinæ linguæ vſus latius patet: ſic laboris & operæ in hac diſcenda exercendaq́; ſumi conuenit. Cum eum pleraque ex Græca litteratura cum Latina cõſentiant, Græca ab eo non magno negocio cognoſcetur, qui Latinam iam didicit; Vt igitur Latinæ linguæ ſtudium vrgeri oportet, ſic Græcæ non debet prætermitti.

De Auctoribus Imitationis.

Hactenus Latino lacte eſt enutritus adoleſcens, quaſi adhuc Corneliæ vberibus Sempronius: At nunc in hac tertia tribu commutandus modicè cibus eſt, & educendus ad æquales robuſtiores, ad Poëtarum & Græcorum filios, vt his aſſueſcat colludere: Sed ita vt ſocios præcedentis tribus non deſerat, neq; obliuiſcatur eorum, quæ audiuit, didicit, ſcripſit in tribus ordinibus antecedentibus.

Hora igitur Prima pomeridiana Ciceronis Epiſtolæ Familiares vtiliter huic Claſſi enarrabuntur, quæ in Selectioribus illis non habebantur. Quiſquis enim orationẽ cupit puram, ornatã, elegantem, nullum rectius imitari ſtudebit, quam vnum Latinæ linguæ principẽ Ciceronem, in eoq́ puer detinendus eſt, donec nõ proferre ſolum & exprimere poſſit omnia Latinè, purè, & planè; ſed donec eius auctoris vim & elegantiam, loquendo & ſcribendo oſtendat,

Sed

Sed cum non omnia, quæ optamus, vno anno perfici poſſunt, vel propter ingeniorum tarditatem, vel propter temporum iniurias, quæ bella, & morbos, & conuerſiones varias afferre ſolent, retineri oportet in manu & ſinu adoleſcentis, illud Ciceronis periodorũ & exemplorum volumen, donec aſſiduo vſu, diuturnaque conſuetudine, quemadmodũ ij qui in ſole ambulant, oratio coloretur: Et quod in vna curia abſolui non poteſt, in alijs abſoluendum eſt.

Quin illud etiam conſequentur pueri continua Ciceronis lectione, vt vel mediocriter in ſcribendo exercitatis, aptiſſima verba non ſolicitis ſeſe offerant, ſed vt Verborum delectum habere norint. Operæprecium fuerit & vtile præmonſtrare puero illa verborum diſcrimina, quæ ſunt in priori libello de Copia, & apud Iacobum Strebæum de verborum electione.

In Ciceronis enim explicatione ſemper haberi debet à Præceptore Phraſeos & Latinitatis cura, vt oſtendat in explicando, quæ verba Latina, quæ barbara, quæque eorum apta ſtructura & collocatio, quæ puræ vel impuræ Nominum atque Verborum Conſecutiones. Et quæ vocabula rerũ, & qui loquendi modi Ciceronis atque Varronis ætate: Et quæ addita Plinij & Quintiliani temporibus.

Monendumque ſubinde quid Valla, quid Linacer, quid Had. Cardinalis, quid Budæus, quid Lexica. Item quid ceteri tradant Elegantiarum ſcriptores, Epiſtola quæ obſcuriores videbuntur, & captum

excedere puerilem, ſine vllo ſtudiorũ diſpendio omittantur in ætatem maturiorem.

Liber Sextus. Accuſationis Verrinæ refertus eſt rerum narrationibus, quæ verbis ſunt puræ, ſentẽtijs ſuaues, intellectu claræ. In eo cognoſcent pueri, quam habeant verba ſingula poteſtatem, & coniũcta quam efficiunt ſententiam, & ipſi breuibus ſententijs poſtulando, mandando, interrogando, optando, deprecando, aſſueſcent loqui paulo copioſius non præceptis, ſed exemplis.

Nec inutile fuerit hanc Verris accuſationem, vbi ſenſum iam bene aſſecuti fuerit, memoriter etiam recitare. Si quis tamen hanc Verrinam actionem potius ad Claſſem ſecundam reijciendam putet, is ſuo hac in re vtatur iudicio.

Hora quarta, Bucolica Virgilij. Vel potius inſigniores veterum Poëtarum Sententiæ, Vel ſelectiores aliquot Odæ Horatianæ. Denique vel Epigrammata aliquot Martialis, ſed repurgata, & nuper in lucem emiſſa opera & cura eruditione præſtantis viri D. Emundi Augerij, & Antuerpiæ Plantini typis edita. Extant ab eodem excuſæ Centum fabulæ auctorum quorundam veterum & Gabrielis Faerni carminibus explicatæ, quæ huic ætati videntur valde accommodatæ.

Porro in horum librorum explicatione diligenter ab Inſtitutore eſt oſtendendum, quæ Phraſes Poëtis ſint familiares, & quæ communes cum Oratoribus, ne diuerſa

diuerſa orationum genera ita confundantur, vt in oratione libera Poëtæ, & in aſtricta ſoluti prorſus videamur, vt exempli cauſſa, Benignè facere, tã apud Ciceronem, quàm Catullum legitur, Referre grates Poëticũ eſt, nec temere in oratione libera vſurpandum.

Ad Poëtarum lectionem tamquam ad antidotum Præceptor adhibeat librum Plutarchi de Poëtarum lectione, & alterum Baſilij Magni de legendis Æthnicis, breuiorem quidem illo, ſed pietate vberiorem.

Ratio excutiendæ Lectionis.

I. Primum omnium inquirendus eſt in lectione enarrata verborum ſenſus, qui cum reductione verborum in ordinem ſuum Grammaticum, tum Latino, tum vernaculo ſermone eſt explicandus.

II. Vocabula rariora, aut alioqui adhuc ignota. Item ambigua et polyſema ex Lexicographo in charta vel libri margine ſunt deſcribenda.

Obſeruandum *porro eſt in Vocabulis, quid proprium ſit, quid Metaphoricum, quid vſitatum & familiare, quid exoletum. Adhæc & in ſingulis verbis, & in coniunctis aduertendũ eſt, quid Oratorium, quid hiſtoricum, quid poëticum, quid comicum, quidue tragicum.*

Præterea quæ ſint Verba Synonyma, quæ contraria, quod plurimum confert ad Sermonis copiam & varietatem. Et vt in his omnibus diſcipulorum labor minuatur, Inſtitutor ipſe non grauatim hoc loco diſcipulis commonſtrabit figuras huiuſmodi, & ver-

borum copiam donec ſine huiuſmodi, quod dici ſolet, cortice natare didicerint.

III. Obſeruandæ ſunt etiam potiſsimum in ipſo Cicerone elegantiores Latinæ linguæ phraſes, & ſermonis formulæ, quibus quotidianam Barbariem, corruptamque loquendi conſuetudinem ſermone puro & incorrupto corrigere poſsint. Item, Si quod Prouerbium, ſi qua Similitudo, ſi qua Sententia ad Pietatem, Virtutem, aut bonos mores pertinens: quæ, vt ſuperius admonuimus, vel linea ſubducta conſignetur, vel inſcribenda eſt chartulæ, vt ſub finem hebdomadis in ſuos quæque locos cõmunes, ſeu Sermonis, ſeu Rerum referatur.

Hac enim diligentia puer id conſequetur, primum vt in promptu ſit, quo mores ſuos pariter & alienos corrigat; Deinde vt ex idoneis Scriptoribus ſuppetant rectè loquendi ſcribendique exempla, quæ quiſque ad orationem ſuam, cum erit opus, accommodet.

IIII. Etymologiæ & Syntaxeôs ratio, obiter quoque eſt diſcutienda, vt ſi qua ſit Conſecutio rara, Anomala, ſeu Figurata, Poëtica, Hellenica, Exoleta ſeu antiquata, Permiſſa pueris, vel non permiſſa. Repetendumque eſt hoc loco frequenter illud Cæſaris elogium, quod ſupra protulimus: Origo Eloquentiæ eſt delectus & obſeruatio Vocabulorum & Sententiarum.

V. Obiter etiam obſeruabunt Pueri Proeſodiam & Syllabarum tempora & modos. Item, Pedum

&

& Verſuum genera & decorum.

De Lectione ediſcenda & recitanda.

Vbi lectio iam eo modo fuerit diligenter excuſſa & examinata, reliquus iam eſt ediſcendi labor, vt Præceptore ipſam repoſcente, memoriter poßit enarrari; Qui ſi fortaßis audiendis adhuc alijs occupetur, ſubſtituet ex doctioribus adminiſtrum ſiue collegam aliquem, vt apud Romanos olim Dictator adſciſcebat ſibi Prætorem, & Magiſtrum equitum: Et ſemel diximus optimum proficiendi genus eſſe, docere alios; quod neceſſe ſit ipſum interpretem, enarranda bene intelligere.

Poſt lectionis recitationem, aut Stylo & compoſitioni danda eſt opera, aut Diſputationi.

De multiplici exercitio Styli.

Stylus æquè vt in Claßibus ſuperioribus, immo multo maiori ſtudio & diligentia, nullo interpoſito dierum interuallo acuendus & exercendus eſt; Sed magiſter adſit, qui moneat, qui excitet, qui conſilium det, qui adiuuet, qui in eadem ſit quaſi laboris ſocietate, vt adoleſcentem non pudeat, quod Præceptorem non piget efficere.

Latinæ enim linguæ diſcendæ ratio in duobus conſiſtit, Cognitione videlicet & Vſu. Illa paratur optimorum Scriptorum diligenti lectione. Hic vero continua Exercitatione, quæ in imitatione poſita eſt, cum loquendo, ſcribendoque Puer ea quæ didicit, exprimere aſſueſcit, qua in re Doctor prudens & diligens, quæ

maximè

maximè ſint obſeruanda puero exercitanda & imitanda proponat.

Styli igitur Exercitium viciſſim nunc in proſa, nunc in carmine fiat. Vt enim terræ varijs, mutatisq; ſeminibus: Ita Ingenia quoque noſtra, nunc hac, nūc illa meditatione recoluntur.

I. Prima atque omnium vtiliſſima Exercitatio videtur eſſe, vt pueri Epiſtolas in omni materia frequenter conſcribant, quibus quodammodo vires ſuas, quaſi in campo aliquo ſibi comparent, ſeſeq́ue quaſi ad veram pugnam præparent.

II. Proxima vero, vt Hiſtorias ſiue communi lingua ſcriptas, ſiue inornate compoſitas, latinè conſcribant; Aut etiam Hiſtorias latinè ſcriptas & longiores in Epitomen redigant, præciſis ſcilicet aut reiectis Conſilijs, Comprobationibus, Amplificationibus, ceterisq́ue id genus ornamentis, ſumma tantū rerū retenta, vt Florus in Liuio, Iuſtinus in Trogo fecerūt.

III. Hiſtoria, Fabula, Apologus, Apophthegma, Prouerbium, Item memorabile aliquod dictum vel factum, ex Val. Maximo. Vel Baptiſta Fulgoſio in epiſtolæ formam redigatur, vel in Dialogum ſeu Colloquium cum perſonarum fictione. Dialogorum enim compoſitio facilis eſt. Nullaq́ue omnino materia Dialogo explicari refugit; Et propter libertatem in ijs conceſſam, maiori ſæpe cum voluptate & ſcribuntur & leguntur Dialogi, quam quæuis alia.

Huc pertinet ſi inſignior aliqua Sententia, vel

narratiuncula fuſius & explicatius conſcribatur, aut alijs verbis & dilucidioribus enarretur. Quod genus ſcripti Paraphraſis dicitur.

IIII. Adhiberi quoque interdum poſſunt Hypotypoſes, & variarum rerum deſcriptiones, vt Perſonæ, Loci, Regionis, Ciuitatis, Ædificij, priuati, vel publici. Itineris, Negocij, Colloquij cum aliquo habiti, vel quidquid his affine eſt.

V. Iubeantur ſubinde ſtudioſi tirones, vel dictatæ à Præceptore Epiſtolæ, vel Ciceronis alicui iam recitatæ, proprio Marte reſpondere.

VI. Nonnunquam Sententia aliqua breuis & aperta, iuxta variandi rationes in libello de Verborum copia, diſpoſitas, alijs atque alijs verbis certatim & elegantiſsimè & numeroſiſsimè conſcribetur: Quod Exercitium ad extemporariam & expeditam latinè loquendi facultatem vel in primis multum conferre exiſtimandum eſt.

Propoſitio autem vel Thema variandum ſit aliquod inſigne dictum, Nimirum Sententia, Adagium, aut celebratus quiſpiam Poëtæ verſiculus. Quin & Rudimenta noſtra multas & elegantes Sententias huiuſmodi variationi idoneas facilè ſuppeditauerint.

VII. Sæpe etiam licebit, eruditorum Epiſtolas, ſi quas pueri nondũ legerint, dictare ijs ſermone vernaculo, vt Epiſtolam Ciceronis, Pet. Bembi, Iac. Sadoleti, Chiriſtoph. Longolij, Pauli Manutij, aut aliorum, qui Ciceronem non infeliciter ſunt imitati.

Plurimum

Plurimum enim prodeſt Epiſtolam aliquam Ciceronis breuem, aut partem Epiſtolæ, ſi longior fuerit, aut argumentationem aliquam non longam, aut narratiunculam, aut amplificationẽ mediocrem ad verbum interpretari ſermone patrio, & puero proponere, vt transferat in ſermonem latinum. Hoc enim pacto, adoleſcens ſe non à magiſtro, ſed à Cicerone ipſo erudiri ſentiet. Omnia autem iſta in Ludis & Scholis fieri debent, cum ipſe præſto eſt Inſtitutor, vt à Diſcipulo doctiore non ſumantur, vel ex ipſo Cicerone, vel alio Scriptore non deſcribantur.

Hoc autem pacto oratio Pueri, non doctoris ſui arbitrio, ſed præſtantiſſimorum Auctorum iudicio emendatur. Neque quidquam pernicioſius accedere ſtudijs linguæ Latinæ ſolet, quam quod neglecta omni imitatione, pueri à ſuis Magiſtris magis, quam Romanis ipſis Latinitatem diſcere cogantur.

Peruerſius vero nihil, ne cogitari quidem poteſt, quam quod ea conuertenda Latinè de vernaculo ſermone præſcribant, quorum vel nomina, vel loquendi modos, neque tum, neque antea, puer audiuit. Non dico vel eos ipſos ſæpe ignorare Præceptores, quemadmodum propriè & purè, quæ dictarint, ſint vertenda.

Summo itaq; ſtudio, magiſter cauere debet; vt neq; ſcribere, neque loqui puerum permittat, niſi ijs modis & rationibus, quas non à ſe, ſed ab optimis auctoribus didicerit. Eorum enim conſuetudine, tamquã rectiſſima norma, omnia linguarum ſtudia ſunt dirigenda.

VIII. Po-

VIII. Poſtremo Carmen in Proſam diſſoluatur, & inſignis aliquis Poëtæ locus, oratione ſoluta explicetur. Et contra, Iubeantur iam etiam Carmen aliquod conſcribere, ſed quod facile ſit, vt Adonium, Phærecratium, Gliconicum, Anapeſticum, Iambicum Dimetrum, &c. Et ab his deinceps ad Hexametra, & Elegiaca paulatim progrediendum.

Materiam Carminis principio non inutiliter petierint Tirones ex Æſopicis fabulis, à Barlando, Guil. Goudano, aut Valla latinè verſis, in quibus res ipſe non difficulter ab hac prima & rudi adhuc ætate percipiuntur; Licebit etiam materiam interdum mutuari ex Euangelio dierum Dominicarum, vt hac multiplici tractatione firmius animo infigantur.

Alternis præterea vicibus nunc proſam ſcribant exhibendam Secunda Hebdomadis feria, nunc Carmen, quod feria Sexta exhibeant. Quæ viciſsitudo & ſcribentis leuit moleſtiam, & mirificè ſtylum exacuit: Sed hic monendus eſt adoleſcens nequaquã cœptis eſſe deſiſtendum, ſi nõ ſtatim quod cupit, aſſequatur. Fieri enim non poteſt, quin crebrius tentando aliquid tandem ſit perfecturus, Fabricãdo enim Fabri efficimur, vt habet vulgo tritum prouerbium.

Vt porro Diſcipulus ad litterarũ ſtudia, ac in primis ad vtiliſsimũ ſcribẽdi ſeu ſtyli exercitium acrius incitetur: Illud hic rurſus monere viſum eſt, quod alio loco admonuimus, vt talis videatur eſſe Præceptor, qualem Diſcipulum eſſe velit, vt amet ſcilicet

ſtudia litterarum, vt admiretur, vt ea ſæpe prædicet, vt exemplis excitet, vt adhortetur, vt ſtylum exerceat, vt mane euigilet, vt aliquid à ſe commentatum recitet, vt abſque libro non videatur, vt temperantia eius in cibo & potu, Elegantia, & morum ſanctitas conſpicua ſit Diſcipulis.

De Puerorum Dictatis emendandis.

In emendando maxima, vt diximus etiã in Quinta Claſſe, eſt adhibenda induſtria, ne pueri nimia emẽdationis ſeueritate deſperent ac deficiant, atque dum omnia timent, nihil tandẽ conentur. Quædam igitur iam emendentur, multa adhuc tolerentur. Interdum etiam quædam collaudentur, vt in his ſermonis puritas, in illis perſpicuitas, in alijs ornatus, aut lepos. In quibuſdam Inuentionis acumen, vel argumentandi ſubtilitas, Diſpoſitio, Conſilium, &c.

Admoneat etiam ſubinde Didaſcalus quæ durè & horridè, quæ inuſitatè, quæ contortè, quæ obſcurè, quæ exiliter, quæ affectatè, tumideque dicta ſunt. Et pro inſuauibus dulcia, pro fortuitis lecta, pro conſuetis compoſita ſuggerat. Quamuis huiuſmodi pleraque magis ad ſequentem, quam ad hanc Claſſem pertinere videantur.

Iam vt vituperationes: ita & laudes ſint moderatæ. Nam alterum laboris tædium, alterum vero facile parit ſecuritatem. Quin etiam Præceptores in emendando non ſint acerbi, vel cõtumelioſi: Nam hoc multos à ſtudijs auocauit, quod ſic Diſcipulos obiur-

garint,quaſi odiſſent. Nulli tamen prætereundi, qui emendationis limam nõ ſentiant, cum & Cicero Præceptorum ſucrum in notandis vitijs,prudentiam,plurimum ſibi profuiſſe fateatur.

Porro in ſcribendis verſibus ad multa initio conniuendum eſt,quoniam difficilis illa exercitatio eſt, & ſatis moleſta; Meminerint igitur hoc loco Præceptores,quod in arte Poëtica ſcriptum eſt ab Horatio,

Sunt delicta tamen quibus ignouiſſe velimus.
Verum vbi plura nitent in carmine,non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. —

Sed de ratione emendandi dicemus plura proximis duabus Claſſibus.

De actione Comica.

Adhæc Scholaſtica Exercitia pertinere quoque exiſtimamus,ſi tertio aut quarto quoque menſe incipiant pueri publicitus vel priuatim exhibere Fabellam aliquam honeſtam, & ab omni obſcœnitate alienam. Vel ſi ea longior ſit, vnus aut alter actus eius recitetur: qua in re adoleſcentibus eſt opus Præceptoris opera,vt prima illa in recitãdo & agẽdo inſcitia; Præceptoris induſtria corrigatur: dum puero commonſtrat,quænam ſit apta ac decora vocis,geſtus, & vultus compoſitio.

Iam licet à multis approbetur,pueros his annis eſſe exercendos recitandis memoriter agendiſque fabulis. Nolim tamẽ eas in Scholis à Præceptoribus enar-

rari, cum ea quæ obſcuritatem habere, ſi priuatim legantur, videbuntur, illuſtrentur vel actione & conſuetudine, vel collocutione, inter ſe adoleſcentum: Vel breui interdum interpretatione Præceptoris; Atque ita fiet, vt adoleſcẽtes ſine vllo labore & faſtidio, maiores opinione ſtudiorum progreſſus faciant.

De lectione Priuata.

Ad priuatum ſtudium aliâs pertinere diximus diligentem eorũ repetitionẽ, quæ ſunt in ludo recitata.

Adhæc Compoſitionem, ſeu diligentem Styli exercitationem, quæ ſeceſſum amat, & animum à turbis & negocijs vacuum.

His adde Librorum quorundam lectionem, qui licet in Scholis numquam aut rarius prælegi conſueuerint: eiuſmodi tamen ſunt vt veteres illi Scriptores horum adminiculo facilius multo intelligantur, ac ipſam præterea ſtyli exercitationem non parũ adiuuent.

Primum igitur monuerim comparãdum aliquem, qui de Conſcribendis Epiſtolis tractârit paulo diffuſius & explicatius, quàm Magnus ille cuius ſupra mentionẽ fecimus. Huiuſmodi fuerit Georg. Macropedius, aut qui de arte ſcribendi docte & ornate ſcripſit, Lippus Brandolinus; Quibus fortaſſe nõ inutiliter acceſſerint libri quatuor quos ipſi de conſcribendis epiſtolis ex doctorum monumentis collectos Antuerpiam miſimus excudendos.

Monendi ſubinde ſunt Diſcipuli elegantioris compoſitionis ſtudioſi, vt illas Manutij vel Apherdiani

latini ſermonis phraſes frequenti lectione reddant ſibi familiares; quæ plurimùm prodeſſe queant Latinè & eleganter epiſtolis conſcribendis.

Circumferuntur paſsim in ſcholis his Belgicis & ſtudioſorum teruntur manibus Synonyma Simonis Pelegromij, vtiliora tamē Carmen ſcribentibus quam Proſam, quod Auctor illius libri Vocabula Poëtica, & in oratione ſoluta non vſurpanda, ab alijs non ſatis diſcreuerit.

Extant nunc etiam Phraſes Ciceronianæ ex Nizolio, Riccio, Hadriano, & alijs collectæ per Hieronymum Capharum Salernitanum ſtudioſis Latinæ linguæ non inutiles.

Epitheta Ioan. Rauiſij verſificantibus initio poterunt magno quoq; eſſe vſui, ſi quæ de Epithetorum vſu & delectu in Proſodia noſtra conſideranda eſſe diximus, diligenter obſeruentur.

Adagiorum epitome frequenter etiam eſt à ſtudioſis conſulenda, quam nuper acceſsione non modica locupletauit Victor Ghiſelinus.

Feneſtella vel Pomponius Lætus de Magiſtratibus Romanorum non parum lucis afferet Ciceronis in primis & Hiſtoricorū libris facilius intelligendis.

Quibus adhæc nummi ſuppetunt in vſum priuatum ſibi comparent Amb. Calepini Lexicon cum propriorum nominum Onomaſtico, ex quo diſcant quæ ſit propria, quæ tranſlata cuiusque vocis ſignificatio. Ex Onomaſtico vero diſcent, Poëtarum fabulas, qua-

rum ſignificatio ad intelligendos Poëtas vtilis eſt & neceſſaria.

Habeant præterea domi vel in Schola Chartas Geographicas, vt Deſcriptionem Italiæ, & Græciæ. Item Paleſtinæ, ſeu terræ ſanctæ, illæ conducunt ad cognoſcendum oppida, prouincias, & Regiones in libris profanis: hæ vero in ſcriptis ſacris. Atque hactenus de libris in vſum priuatum coemendis.

Caueãt vero Pietatis ſtudioſi adoleſcẽtes à Scriptoribus, qui ea mala ac vitia fouent, ad quæ ipſorum natura ſolet eſſe propenſior, Ouidio, Catullo, Tibullo, Propertio, Martiale, & id genus farinæ ceteris impuris ſcilicet & ſpurcis. Nam multi vel vna inutili lectione tantũ contagij contraxerunt, vt per omnem vitam vehementer ipſis nocuerit.

Nec minus cauendum omnibus à ſcriptis Hæreticorum, quos hominibus priuatis vel legere vel habere, vtroque iure, & ſummorum Pontificum decretis prohibetur, coniunctumque id eſt etiam cum magno ſalutis noſtræ periculo. Qua de re plura ſub finem Claßis 3. lib. 3.

Porro in priuatis his ſtudijs, vt vtilius inſtituantur, illud quoque eſt admonendum, vt ſiue quid legat quiſpiam, ſiue ab aliquo legi quid audiat, eo ſemper intentus ſit animus, nec mentem id temporis patiatur quoque euagari, oleum & operam, quod dicitur, alioqui facile perditurus. Contra vero notum eſt illud, ingenium vbi intenditur, ibi maximè vigere.

Poſtremo

Poſtremo nocturnas lucubrationes & intempeſtiva ſtudia fugiant, nam & ingenium extinguunt,& valetudinem vehementer offendunt. Ipſa vero Aurora Muſis amica eſt,& apta ſtudijs.

Si qua in priuata lectione inciderit difficultas, quam proprijs viribus nequeamus facile ſuperare, ſequemur Rod. Agricolæ cõſilium, qui admonet in huiuſmodi non ſtatim reſiſtendum: ſed progrediendum vltra,& in aliud tempus tale reſeruandum,donec vel homo vel liber contingat, qui id aperiat, vel alia lectio, quod crebrum eſt, id doceat Dies enim, inquit, quod dicere ſoleo,diem docet.

De Locis communibus Sermonis & Rerum.

Superiori Claſſe diximus, perquam vtile eſſe litterarum ſtudioſos duplices conſcribere locos cõmunes, Sermonis ſcilicet & Rerum, quorum titulos, vt vocant, ſeu Inſcriptiones & capita oportet ſemper in promptu habere, vt quæcunque inter legendum occurrat Sentẽtia notatu digna, poſſit ſtatim ad proprium ſuum locum, & quaſi domicilium redigi.

Quod quidem ſtudium ſeu exercitium ſtudioſis adoleſcentibus iucundum eſt, ac adeo frugiferum, vt pro dignitate ſua nequeat ſatis commendari. Etenim non aliunde in ætate virili vberiores fructus decerpuntur, quàm ex huiuſmodi in adoleſcentia collectis & bellè inſtructis Locis communibus, vt non immerito dici poſſint, Vniuerſalis quædam & inſtructiſſima Bibliotheca, ex qua quoduis argumentum, quod tra-

ctandum ſuſcipitur, aptiſſimè & ſcitiſſimè queat adornari.

Nec enim alia eſt via compendioſior, ad quidquid voles expeditè & ſcitè inueniendum, quam adire locos communes, & ex ijs lectiſſima quæque decerpere; Nec diues auarus tantam capit voluptatem ex auri aſpectu & diligenti cõtemplatione, quantam vir eruditus ex Locis communibus à ſe in adoleſcentia copioſè inſtructis.

Quod hic admonere volui, vt quilibet hoc tamquam Claſſico audito ac ſigno dato, conetur ſibi bene diuitem theſaurum lectiſſimorum Locorum communium, tum Sermonis, tum Rerum ſeu Sententiarum comparare, ex quibuſque Scriptoribus optima quæq; annotando, atque in locos ſuos quaſi memoriales referendo.

De Locis communibus Rerum.

De Locis Sermonis diximus opinor ſatis ſuperiori tribu, At nunc agendum de Locis Rerum, quorum inſcriptiones ex poſteriori libello de Copia capite de colligendis Exemplis deſcribi poterunt. Vt porro facilius percipiamus ad quam quæque res Inſcriptionem ſeu Locũ referri debeat, legendus Rodol. Agricola Epiſtola de formando ſtudio.

Vtile fuerit ſingulis Inſcriptionibus addere Synonyma & nomenclaturam Græcanicã, vt Silentium, Taciturnitas σιγὴ σιωπή. *Et in aduerſa facie ſcribere contrarium. Vt Virtus, Vitium; Vita, Mors. Contra-*

ria enim iuxta ſe poſita facilius ac rectius intelligantur.

In ſingulis præterea Locis ſcribantur Definitiones, Deſcriptiones, Sententiæ, Exempla fabuloſa, vel hiſtorica, Apophthegmata, Similia, Adagia etiam Germanica, Item Rhythmi vernaculi & vetuſtiores. Et breuiter quæcunque in omnibus linguis ſapienter, ingenioſè & feſtiuiter, dicta ſunt, in hos locos videntur digerenda.

Atque vt res hæc longè vtiliſſima melius procedat, vtile fuerit Sabbathi quoque die euoluere quidquid tota Septimana ſchedis cõmiſſum ſit, vt ita ſingula ad ſuos locos communes Sermonis & Rerum regerantur, quæ erit quaſi generalis totius hebdomadæ repetitio.

Vtiliſſimum adhæc fuerit adoleſcentes interdum ſe concertare recitandis quam plurimis Sententijs ad vnum aliquem locum communem Sermonis aut Rerum ſpectantibus. Sumatur vel ex tempore locus, vel pridie dictetur à Præceptore ad quem poſtridie ſit reſpondendum.

Porro Liber Locorum Rerum, ne, qui ceteris maior, portantem oneret, vel ſæpius in Scholam deportando corrumpatur, domi poterit aſſeruari. Ita tamen, vt ſingulis menſibus Præceptori ſemel offeratur inſpiciendus; vt ſi qui fuerint hîc ſegniores, ad hoc ſtudium longè vtiliſſimum ſubinde excitet.

Debent enim hi libri Magiſtro Iudices eſſe earum

 rerum,

rerum, quæ cognitæ notatione quotidiana in puerorum mentibus latent conditæ. Quin etiam debent huiuſmodi quotidiani Commentarij repreſentari magiſtris & moderatoribus, quoties probatio fiet à Scholarum præfectis.

Monendi ſunt inſuper, vt hos tres Libros, vnum Argumentorum ſiue Styli, & duos Locorum communium tamquam maximum & precioſiſsimum theſaurum, perpetuo, & in omnem ſemper ætatem ſibi curent aſſeruandos.

De diebus Sabbathi.

Diebus Sabbathi repetantur, quæ tota hebdomade ſunt enarrata. Et qui nec dum canendi ſatis periti ſunt, diutius etiamnum in cantu exerceantur.

CLASSIS II.

- **Præceptiones Artium.**
  - Latinæ
    - Proſoedia repetenda, adiectis iam etiam Supplementis.
    - Compendium.
      - Dialectica Aug. Hunnæi. Vel Petri Fonſecæ.
      - Rhetorica Cor. Valerij. Vel Cypriani Soarij cum Schematibus Rhetoricis.
      - Copiæ Rerum.
      - Geographiæ & Arithmeticæ.
  - Græcæ
    - Grammatica Nic. Clenardi, Vel
    - Educationis puerilis pars Secunda.
    - Syntaxis Græca Varenij, vel alterius.
- **Auctores Imitationis.**
  - Latini
    - In Proſa.
      - Epiſtola Cic. ad Quintũ Fratrem, Vel Quæſt. Tuſculanæ.
      - Cæſar de bello Ciuili, & cum eo Lucanus, Vel
      - Saluſtius, & cum eo Aeneis Virgilij.
      - Orationes Ciceronis.
        - Catilinariæ. Vel
        - Pro Archia, vel Marcello.
        - Pro Ligario vel Seſtio.
        - Pro Rege Deiotaro; Vel
        - Aliæ ex Tomo Secundo.
    - In Carmine.
      - Aeneis Virg. vel Lucanus.
      - Selectiores aliquot Odæ Horatianæ, ſed quæ prorſus careant omni obſcœnitate.
  - Græci
    - Plutarchus de educandis Liberis.
    - Oratio Iſocratis ad Dæmonicum.
    - Oratio eiuſdem ad Nicoclem.
    - Ariſtotelis de Virtutibus & Vitijs compendium.
- **Diebus.**
  - Sabbathi
    - Repetitio.
    - Cantus.
  - Feſtis, vide lib. 3. Claſ. 2.

De Præceptionibus Artium.

Secunda hæc Claſsis robuſtioris ætatis eſt, & iam exercitatum tironem & prope militiæ atque caſtris idoneum mirmillonem requirit ad Dialectices & Rhetorices prelia: Non quod congredi debeat aut poſſit, ſed quod inſtitui queat huiuſmodi diſciplinarum præceptis atque exercitationibus.

Quapropter Proſodiæ repetitioni intra menſem abſoluendæ, adijciantur ſtatim Compendia quæ in Indice librorum diſponuntur, quæ nihil ſunt aliud, quam Epitomæ Librorum poſtea prælegendorũ. Plurimum vero conducit eius artis, quam quis perfectè didiciſſe cupit, proponi initio Compendium aliquod, quod totius argumenti ſummam breuiter & perſpicuè complectitur.

Copia Rerum diligenter Adoleſcentibus exponenda eſt, quisque eius ſit vſus & quantus, frequenter oſtendendum & inculcandum eſt.

Geographiæ vel tenuis cognitio vtilis eſt adeoque neceſſaria ad intelligendos omnis fere generis Scriptores; Arithmetica præterea maximũ in vita quotidiana vſum habet, nec ea quiſquam facile carere poteſt.

Altera vero lectione antemeridiana Grammatica Græca explanetur, & cum ea Libellus aliquis, in quo Præceptorũ vſus oſtendatur. Et in quo poſt Rerum doctrinam commonſtretur vtriuſque linguæ cognatio, & diuerſitas, ſine qua notitia, nec rectè, nec feliciter trãsferri quidquam in linguã alterutram poteſt.

De Scriptoribus Imitationis.

Hora Prima pomeridiana aliquid Ciceronis, Cæſaris, vel Salluſtij, prælegendum eſt; Nam illud inter omnes conſtare iam videtur, Auream illam Ciceronis ætatem, qua admirabilis illa dicendi vis apud Romanos perfecta fuit, eſſe omnibus purè & emendatè loquendi ſtudioſis imitandam.

Omnium autem Scriptorum, vt optimum & in omnibus eminentiſſimum Quintilianus ſummo loco ſtatuit M.T. Ciceronem: At vero ipſe Cicero Iulij Cæſaris Commentarijs laudem tribuit puri & incorrupti ſermonis Latini; Atque alius quidam magni liberiq́ue iudicij vir cenſet Cæſarem in linguæ proprietate, & recta quadam venuſtate Ciceroni vel æquandum vel præferendum.

Aut igitur vnum Ciceronem, quem eloquentiſſimum omnes poſt ætates iudicarunt, pueris proponamus. Aut eos tantum, qui æque puro & polito ſermone vſi ſunt adiungamus: Vnum enim idemq́ue dicendi genus, facile ab vno aut paucis; à varijs vero & multis nunquam diſcemus.

Quod ſi vocabula omnia, & loquendi modos vnus ille aut alter nō ſuppeditet, commodè ea poſt aliorum lectione adijcientur; ante vero ſine certa pernicie totius Sermonis paucæ voces non conquirentur.

Quamobrem exploſa eiectaq́ue e ludis puerorum varia & infinita Auctorum multitudine, paucos illos, quos optimos iudicamus; Ciceroniſq́ue maximè ſi-

miles retineamus, & omni ſtudio teramus; Hi vero ſint Cicero & Caſar. Alterius igitur horum aliquid prælegendum eſt, niſi fortaſſe malis pro Exercitatione in Dialecticis & Rhetoricis deligere prius Orationes aliquot T. Liuij, vel aliquid Saluſtij, de quo illud extat Elogium.

Criſpus Romana primus in Hiſtoria. Hora vero Quarta pomeridiana prælegendus Poëta quiſpiam ex Indice ſuperiore.

Cum vero origo Eloquentiæ, vt dictum iam eſt ſæpius, ſit delectus & obſeruatio Vocabulorum & Sententiarum, aliaq; verba, & aliam orationis formam requirant Poëtæ, & aliam Oratores. In Veterum auctorum enarratione edocendi ſunt omnes huius Claßis diſcipuli, quid Oratorium, quid Hiſtoricum, quid Poëticum, quid Comicũ, quid Tragicum: Item quæ Heroicis, quæ Lyricis, quæ Elegiacis, quæ Satyricis locutio germana.

Rurſus quid Proprium, quid Metaphoricũ: quid vſitatum & familiare, quidque exoletum ſeu Antiquatũ. Præterea quæ vis, proprietas, & ornatus Verborum, quis decor, quod pondus Sententiarum.

Sic in veterum oratione ſoluta, potiſsimum vero in Cicerone, non minus diligenter eſt obſeruanda apta illa & ſuauis verborum collocatio, qua fit, vt oratio non ſit dura, aſpera, aut hiulca: ſed ſuauitate quadam numerorum auditorem capiat.

De recto vero, atque vtili modo ac genere interpretandi

pretandi Scriptores veteres, conſultum fuerit legere non virtute minus quam eruditione celebrem Benedictum Herbeſtum Neopolitanum, Cracouiæ in Polonia ante aliquot annos Eloquentiæ Profeſſorem, & iam proximè Romæ adiunctum Societati Nominis Ieſu: de modo explicandi Ciceronem in præfatione explicationis Orationis Ciceronis ad Quirites.

Illud etiam ad rem pertinere putauerim, vt vel ex Hadriano Cardinale admoneantur interdum auditores, quanta pro temporis diuerſitate facta ſit Styli mutatio.

Modus expendendæ Lectionis.

I. Inueſtiganda eſt totius Lectionis ſententia, eaq́; & Latina & vernacula lingua propriè, ſimpliciter, & apertè eſt explicanda, conſiderando diligenter vtriuſque linguæ peculiaria quædam idiomata.

II. Inſpiciendæ ſunt etiam voces ipſæ & dictiones, quid propriè, quid figuratè ſignificent, cū diligēti obſeruatione Troporum & Schematum, & quæ ad vtramque ſpectant copiam Verborum & Rerum.

III. Diligentiſsimè omnium ſunt obſeruandæ Latinæ linguæ Phraſes. Si quid venuſtius, elegātius, aut concinnius dictum, Indice aliquo vel aſteriſco eſt annotandum, vel in ſchedula deſcribendū, vt in ſuum Locum communem Sabbathi die digeratur.

IIII. Annotentur ea, quibus Loci communes Rerum inſtruantur, vt Prouerbia, Fabulæ, Hiſtoriæ, Similitudines, Sententiæ, quæ ad Virtutem, Pie-

tatem, ad Ethicen & ad bonos mores pertinent, eaq́; omnia ſuo quæque loco die Sabbathi reponenda ſeruentur.

V. In Ciceronis Orationibus explicandis artificium Dialecticum, & Rhetoricum diligenter inueſtigandum eſt, vt Exordium, Narratio, &c. Inſpiciendum eſt auctoris conſilium, & quibus ex locis ducantur argumēta, quæ probabilia, quæ neceſſaria, & alia id genus, de quibus Claſſe ſequenti.

His abſolutis, reliquus eſt ediſcendi labor, & recitatio, & ſi quid temporis tum reliquum eſt, in Dialecticæ, Rhetoricæ, vel Copiæ Præceptis diſputationi, vel exercitio Styli tribuendum eſt.

De Exercitatione Styli in Proſa.

I. Secunda hebdomadis feria eſt exhibenda Epiſtola, quam poſt Rhetoricæ Præceptiones iam vtcunque notas, per ſingula Cauſſarum genera Præceptor initio dictet, cui ipſi ſuo Marte parent interdum reſpondere. De Epiſtolarum materia agemus paulo inferius.

II. Rudibus tota erit Epiſtola præformanda, vt in Claſſibus præcedentibus, Progreſſis vero ſat erit Lineamenta quædam prænotare; Adultis ſuffecerit nudum indicare thema, quod, ipſi demonſtrato ſolū genere Cauſſæ cū locis inuentionis, & ratione tractandi proprijs tum viribus explicabūt. Ad quod dilatandum præter alias rationes Copiæ Rerum excutiendæ ſunt diligenter Cauſſæ & Circumſtantiæ.

III. Cice-

III. Ciceronis Epiſtolam, vel notabilē aliquam hiſtoriæ partem, tranſcribent interdum auditores ſermone vernaculo; qua in re diligenter obſeruanda ſunt propria cuiusque linguæ idiomata.

IIII. Græca Latinè interpretari incipiant, quod nō mediocriter confert ad augendam ſermonis copiam.

V. Orationem ſolutam ac liberam aſtringant numeris, & contra nonnunquam Carmen in proſam cōuertant, mutatisq; verbis interpretētur & exornent, quod genus Exercitationis ſcribentibus perquā vtile. Verum cum aliud ſit dicēdi genus in Poëtis, quam in alijs Scriptoribus, cauendum ſummopere, ne pueri Poëticis Tranſlationibus candorem illum Orationis inuoluant, quæ peſſima foret ac vitioſiſſima oratio.

Exercitatio Styli in Carmine.

I. Carmē exhibebitur Sexta hebdomadis feria, nūc Heroicum, vel Elegiacū, nunc Aſclepiadeum, Glyconicum, Phaleucium, vel miſti generis, Aſclepiadeum cum Glyconico, Sapphicum cum Adonio, Iambicum vel Trochaicum Trimetrum cum Dimetro.

II. Interdum inſignem locum Virgilij, Horatij, Ouidij, Item Flaminij, Vidæ, vel Prudentij in aliud Carminis genus commutabunt.

III. Selectiora Proſperi Epigrammata, alio atque alio Carminis genere numeroſiſſime conuertent.

IIII. Interdum Similitudinem aliquam vel Apophthegma, vel inſignem alioqui Sententiam vario carminis genere certatim conſcribant.

Eſt porro in ſcribendo Carmine opus cura, multoque ſtudio, ac diligentia, & in expoliendo lima, vt non immerito admoneat Horatius.

—Carmen reprehendite quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem.

Præcipitur ob hæc à nonnullis, vt Carmen iam ſcriptum in tempus aliquod reponatur, & poſt dierum aliquot interuallū, ad illud velut nouum & alienum tum fiat reditus, quo fiet vt multa ſe offerant emendanda, initio minus animaduerſa.

De proponendis Epiſtolarum argumentis.

Præceptores in proponendis Epiſtolarum argumentis delectum habeant, & curam, vt ea potiſſimum proponant, quæ illi ætati, amoenitate aliqua, velut illecebræ blandiantur. In his enim pueri vt libentius, ita & vtilius exercebuntur, id fiet, ſi vel noua ſint, vel faceta, vel alioqui Puerorum ingenijs affinia. Ea vel ex Poëtarum fabulis, vel ab Hiſtoricis erunt petenda, niſi quid nouæ rei, vt fere fit, ſuggeſſerit vita mortalium.

Primi generis exemplum ſit, Penelopes ad Vlyſſem Epiſtola, vel ſi vxor marito peregre ceſſanti, ſcribat, vt domū properet. Item ſi Antenor Priamo ſuadeat, ne grauetur raptam Helenam Menelao ſuo reſtituere, vel quia per ſe iuſtū ſit, vel quia ſtultiſſimi Regis ſit committere, vt ob turpiſſimū effoeminati Iuuenis, & vix viri Paridis amorem, tot fortiſſimi viri dimicatio-

nicationem ſuſcipiant, tot populorum fortunæ ſimul & vita in extremum diſcrimen pertrahantur.

Aut ſi Agamennon ſuadeat Menelao fratri, vt negligat potius Helenam, quam ob mulierculam vita indignam, tot procerum millia, in vitæ periculum adducat, & eã totius orbis tumultu repetat. Quæ etiam ſi vltro redierit, non eſſet recipienda.

Huc propius conducunt, quæ è Comicorum argumentis ducuntur. Quod genus fuerit, ſi Phædriæ ſodalis, ipſum moneat, vt amorem Thaidis penitus excutiat ex animo, ac priſtinæ ſuæ ſeueritatis memor, ineptire deſinat, præſertim cum magno famæ reique diſpendio ſit alenda.

Item ſi quis diuiti Plautino ſuadeat, vt Euclionẽ pauperem, probum, potius, quam diuitem illum procum adſciſcat generum.

Si Demea fratrem ad ſuum vitæ inſtitutum vocet, hoc eſt, ab vrbana vita ad ruſticanam. Ab indulgenti liberorum educatione ad ſeueriorem. Sic diuerſo, Mitio Demeam, ad ſuum vitæ genus adhortetur.

Et hæc quidem pueris gratiora; at illa quæ ab Hiſtoriographis ſumuntur propius etiam ad verũ accedunt, eoque plus frugis afferunt, nec ita multo minus iocunditatis, vt ſi quis Catonem iam ſeneſcentem à litteris Græcis deterreat.

Si quis Ciceroni ſecum deliberanti, an fuga ſaluti conſulere properet, an exuſtis Philippicis vitam ab Antonio redimat, alterutrum horum

ſuadere vel diſſuadere conetur.

Si Ionathas Saulis filius Dauidem Regis metu latitantem conſoletur, vt promiſſi diuinitus imperij expectatione, mentem in rebus tam afflictis fulciat.

Huiuſmodi copioſiſſimam vim Val. Maximus, aliíque Scriptores, qui res memorabiles ex Hiſtoricorum libris decerpſerunt, citra veſtigandi tædium ſuggerent.

Conuenit autem in hoc genere variè diligenterque Iuuentutem exercere, quæ præter ſtyli fructum, vetuſtas ac memorabiles hiſtorias, hac ratione velut aliud agentes imbibent, hominum enim & locorum nominibus aſſueſcent. Adhæc decori vim & probitatis naturam, præcipuas orationis virtutes, ita potiſſimum cognoſcent.

Quare Doctoris erunt partes, priuſquam Epiſtolæ formam proponat, rem geſtam accuratiſſimè pueris proponere, indicatis perſonarum proprietatibus, reliquisq; Circumſtantijs, ne vel aberrent à decoro ſcribentes, aut parum conſentanea dicant. Denique vt ſint parati fontes, vnde ducant argumẽta, vel argumentorum confirmationes.

Quin etiam profuerit, quod pueris proponitur tractandum argumentum depromere ex ijs, quæ Diſcipuli audierunt, vt inde verba mutuentur & ſcribendi phraſes ac formulas. Vel certe locos aliquot indicabunt Præceptores, vbi ea tractantur apud Auctores, vt ipſi tum diſcipuli verborum ac ſententiarum

vim

vim inde colligant, vel imitentur, ex alijs ſimilia conijcientes.

Porro quo pacto Apophthegmata, Prouerbia, Apologi, vel Similia Epiſtolæ queant accommodari docebit liber noſter de Conſcribendis Epiſtolis, Cap. de Exercitatione & Imitatione.

Illud hoc loco nequaquam prætereundum, vt huiuſmodi dictentur Epiſtolarum vel Declamationum materiæ, quæ vel veræ ſint, vel quam ſimillimæ veritati; quæque ſemper honeſtum aliquid moneant, nec vnquam illius primæ ætatis obſint moribus. Nam qui turpes, pernicioſas, ac infames materias ioco tractare didicerunt, periculũ eſt, ne huiuſmodi aliquando ſeriò tueantur atque defendant; Quæ res & Scriptores ipſos, & eorum Lectores in maximos ſæpe errores rapuit ac pertraxit.

Cũ proponitur Quæſtiò vel materia ab alijs prius pertractata, ſuffecerit initio eadem ſcribere, quæ ſcripſit alter. Sed mutandus ordo, ſi fieri poteſt argumentorum, partiumque cuiuſque argumentationum. Ac tum videndum ſi qua quæſtio vel argumentatiò abs te poßit adijci, & quæ ſtrictim breuiterque dicta ſunt, dicere poßis copioſius, quæque alius copioſe, tu anguſtius.

Poſthæc quæſtionem aliquam ſimillimam accipito, in eaque idem ſeruetur artificium quod in exemplo. Atque hoc modo fiet, vt paullatim expedite, copioſè, & eleganter de quauis propoſita re dicere poßis.

De ratione emendandi.

In emendando meminiſſe adhuc debent Præceptores quod ſupra admonuimus, ne ſimul omnia reprehēdant, ſed alias alia, ne pueri deſpondentes animum, infauſtum laborem execrentur. Quæ tolerari non poterunt, ea blandius quidem: ſed tamen diligenter corrigenda; Quæ ferri vtcunque poterunt, aut diſſimulanda adhuc, aut ingenio collaudato vertenda in melius: Quæ ſcitè excogitata videbuntur, ea nominatim probabunt, & quamobrem placeant, exponent.

Sunt vitia quædam Compoſitionis, quæ Præceptori in adoleſcente non debent initio diſplicere, veluti ſublimior ſpiritus, & orationis quædam luxuries.

Adhæc pro tempore, ferendæ ſunt voculæ & clauſulæ ex auctoribus ſublectæ, Poëtarum verſiculi, aut hemiſtichia ſubinde intertexta, Tranſlationum licentia, apertior artis affectatio, Compoſitio numero curioſa. Hæc omnia in adulto ſunt vitia; In proficiente vero initio neceſſaria.

Breuiter ſiue quid laudent, ſiue reprehendant, vtrumque, & cum modo, & variè faciendū, vt neque quiſquam de ſe deſperet, neque deſpiciat quemquam.

De modo voces Latinas accommodandi ad Vſum.

Illud etiam ad exercitationem Styli pertinere videtur, vt adoleſcentes aſſueſcant ſermonem ſuum accommodare ad exempla, quæ in Auctoribus quotidie offeruntur; Quod vt felicius ſuccedat, commonſtranda eſt

da eſt illis à Præceptoribus apta aliqua ratio voces Latinas ad vſum accommodandi. Veluti ſi explicatum ſit illud T. Liuij Lib. I.

Vana eſt ſine viribus ira.

Dictio, vanus, ſic ad vſum accommodetur.

Vanus eſt agrorũ cultus, vnde nullũ ſperas prouentũ.

Vanus eſt immodicus promiſſor, ſi nihil vmquam præſtet.

Vanus eſt præceptoris labor, ſine fructu diſcipuli:

Vana eſt vrbis magnitudo, ſine copia ciuium.

Vana eſt omnis oſtentatio ſcientiæ, niſi ſcientia quoque præditus ſis.

Vana eſt librorum ſupellex, niſi diligẽtem & aſsiduũ lectorem nacta ſit.

Sic in ceteris vocabulis commonſtretur interdum accommodandi ratio, qua cũ voluptate quadam ſeſe proferunt vocabula, & vſu ſplendeſcunt, quæ tamquã obſoleta, in memoria quaſi ſepulta delituerunt.

Cæterum vt ipſi adoleſcentes variandi rationes facilius comminiſcantur, diligenter inſpiciant, & ſæpe ac multum retractent variandi rationes, in duabus illis Sententijs. Semper dum Viuam, tui meminero, *Et*, Litteræ tuæ plurimũ me delectarunt. *Et in hoc exercitio ſit interdum ſtudij ac diligentiæ certamen aliquod.*

De actione Comica.

Superiori Claſſe diximus exercendam quoque eſſe primam puerorum ætatem Comicis actiunculis, easque tum diximus debere eſſe breues, aut in longioribus

partem aliquam, ne quid puerilis & imbecillæ adhuc grauetur memoriæ: Nunc integræ fabellæ ſingulis ſemeſtribus, & quæ hactenus priuatim, exhibeantur publicitus.

Sed prima hic cura ſit, vt huiuſmodi fabellæ ſint bene latinæ, puræ, & emendatæ, cuiuſmodi adhuc paucas videre licuit.

Proxima vt nullæ prorſus obſcenitatis labe contaminatæ ſint, nequid caſti puerorum mores earum lectione corrumpantur.

Tertia, vt non ſint inuectiuæ, nec cuiuſquam honori vel famæ vel minimum derogent.

Poſtrema aut prima potius; ſi rei ſacræ cõſtent argumento, vt nullas in religione lites, aut cõtentiones.

Huiuſmodi igitur è multis Præceptor deligat, quæ puritatem Latini ſermonis, Actoris formẽt linguam, Spectantium capiant oculos, Audientiũ etiam & aures oblectent, & ſimul erudiant mores.

Libri aliquot priuatæ lectionis.

Grammatica Thomæ Linacri.
Elegantiæ La. Vallæ cum Annotat. Io. Theodorici.
Obſeruationes, Had. Cardinalis & Io. Godſcalci.
Theſaurus Phraſeon Latinæ linguæ.
Item.
Iac. Strebæus de verborum electione, & collocatione.
Iouita Rapitius de numeris oratorijs.
Ferrerius de numeris Poëticis.

Item.

Item.

Sentētiæ, Similitudines, & præcipua Apophthegmata Cic.

Sententiæ Ariſtotelis quæ Auctoritates inſcribūtur.

Flores & Sententiæ veterum Poëtarum.

Item.

Introductio aliqua in Hiſtoriam Romanam.

Io. Ant. Viperanus de ſcribenda Hiſtoria.

L. Florus, Vel Eutropius, de geſtis Romanorum.

Paulus Oroſius. Val. Maximus.

Item.

Libellus ſcholæ Salernitanæ de conſeruanda valetudine legendus interdum ab adoleſcentibus, vt diſcant curare valetudinem, ſine qua infeliciter in litterarum ſtudijs verſabuntur.

Diebus Sabbathi.

Repetenda ſunt omnia quæ tota hebdomade ſunt enarrata. Et ſi quid temporis fuerit reliquum, ſubinde etiam à principio repetantur prima illa Dialecticæ & Rhetoricæ progymnaſmata ſiue compendia.

Libellus adhæc de vtraque Copia iam totus perfectè teneri debet.

CLASSIS I.

- Præceptiones Artium.
  - Latinæ
    - Rhetorica ad Herenniũ, Vel, Partitiones Cice
    - Erotemata de rectè inſtituenda Diſputat. A. Hunæi.
    - Compendium.
      - Rod. Agricolæ per Barth. Latomũ.
      - Ethices Cor. Valerij, et Seb. Foxij.
      - Spheræ & Aſtronomiæ Corn. Valerij.
  - Græcæ
    - Syntaxis abſoluenda.
    - Educationis puerilis pars tertia.
    - Proſoedia.
- Auctores Imitationis.
  - Latini
    - In Proſa.
      - Ciceronis Officiorum libri.
      - Orationes Ciceronis.
        - Pro Milone vel Sylla.
        - Pro lege Manilia.
        - Philippicæ.
        - Agrariæ.
    - In Carmine.
      - Horatius, Vel Vida de arte Poëtica.
      - Tragoedia.
        - Senecæ, Vt Octauia, vel alia,
        - Euripidis, Latinè verſæ.
      - Georgicorũ libri difficiliores, vt I. vel I I.
  - Græci
    - In Proſa.
      - Platonis.
        - Epiſtolæ ſelectæ.
        - Dialogi, vt Phædrus, Alcibiades, Axiochus, &c.
      - Zenophōtis.
        - Pædia, Vel Expeditio Cyri.
        - De laudibus Ageſilai.
        - De Rep. Lacedæmoniorum.
      - Plutarchi
        - Compendium Vitarum.
        - Apohthegmata.
    - In Carmine, Homerus, Heſiodus, Vel Theocritus.
- Diebus.
  - Sabbathi Diligens Præceptorum repetitio.
  - Feſtis, Vide Lib. 3. Claſs. I.

De

De Præceptionibus Artium.

Nunc tamquam ad ſummam Curiam deducendus eſt Diſcipulorum coetus, ad Curiam tamen, nondum etiam in Senatū: Nam retinendus adhuc Puer annum vnum in ijs Diſciplinis, quas Logicas nominant, Quamobrem in hac Prima ſummaq; Curia, ſi quid deſit Dialecticis atque Rhetoricis fundamētis, quæ Progymnaſmata appellātur, ea ſunt omnia vtiliter nunc explicanda, vt & temporis ratio habeatur, & omnis ſuperuacua vitetur prolixitas. Nihil enim nimis eſt breue, quod ſatis intelligitur: Dialectica igitur primum obiter repetenda, cui ſuccedat Compendium Dialecticæ Agricolæ. Ac deinde Ciceronis aliquid in Rhetoricis.

In Præceptis ad Herennium non ſolum eſt Præceptionum vtilitas, ſed etiam Sermonis puritas: Sed quæ ibi traduntur de Memoria, intelligātur quidem celeriter à pueris; at exercitatione illa non oportet illos diuexari, quod alia ſint magis neceſſaria.

Quin & obſeruatio Collocationis, & Annotatio argumentorum, eorumq́ue tractatio, Propoſitionum etiam & Rationum, & Comprehenſionum conſideratio, firmam poterunt efficere Memoriam, & ſatis magnam.

Præbendus iam etiam Phyſices & Ethices guſtus aliquis, vt his ſtudioſi ad Ariſtotelica præparentur, & quaſi viam ſibi aperiant.

Compendium porro Aſtronomicum & Coſmogra-

phicum ex probato aliquo Auctore, vel dictatum pro diſcentium captu, prouectioribus quoque eſt enarrandum priuatim.

Poſteriori vero antemeridiana Lectione abſoluatur, ſi quid reliquum eſt in Præceptis Græcanicis, & cum eo prælegendus Auctor quiſpiam in quo vſum Præceptorum quotidie obſeruent, vt Libellus Heſiodi qui Opera & Dies inſcribitur.

De Auctoribus Imitationis.

Qui hinc Curiæ explicabuntur Scriptores, non ex illorum ſint numero, qui per ſe poſſunt intelligi, abſque magiſtri opera, & ſine Commentarijs Grammaticorum aut Rhetorum: Sed in quibus ars atque doctrina recondita latet, & vnde exempla ſumi poterunt, & in quibus ſe adiuuari ſentiet à Præceptore Diſcipulus.

In explicandis vero huiuſmodi Scriptoribus non eſt tenenda illa puerilis interpretandi ratio, ad verba; Sed præcipua indicari iam debent ornamenta, Commemoranda etiam ſubinde eſt, vel Hiſtoria aliqua vel fabula, Oſtendendũq; quæ referẽda ſint in Ephemerides ſeu Diaria, hoc eſt, in locos communes.

Hora Prima Pomeridiana prælegendum aliquid Ciceronis, quem Cæſar Eloquentiæ parentem vocat, ac inter optimos lectiſſimum eſſe fatentur omnes, tum ij qui feliciſſima Ciceronis ætate floruẽrũt, tum etiam poſteri; qui ita prorſus omnibus excellit, vt ſol ceteris ſideribus.

In hoc igitur Scriptore diſſerendi genus & via tractandi inter prælegendum diligenter debet indicari, & reliqua quæ ſuperioribus Claſſibus commemorauimus.

Hora Quarta Poëta quiſpiam prælegendus. In Tragoedijs Senecæ multæ ſunt inſignes & notatu dignæ Sententiæ. Ars Poëtica libellus eſt multo vtiliſſimus, ac dignus qui ad verbum ediſcatur. Cum quo Vida vtiliter conferri poterit, qui ſe hic quoque haud vulgarem artificem præſtitit.

Poëtæ vero reliqui, quos in Indicem redegimus, percurrantur potius, quam ſuperſtitioſè enarrentur. Nam quæ continent, Poëtices fortaſſe ſtudioſis, plus quam candidatis Philoſophiæ prodeſſe poſſint.

Modus diſcutiendæ Lectionis.

I. Primum omnium adoleſcētes, ea diligenter indagabunt quæ ad Rhetoricum artificium ſpectant; vt quid in Inuentione, quid in Diſpoſitione, quid in Elocutione notandum.

Ac primo quidem quæ in Proœmio cōciliandi ratio, quæ narrandi lux, quæ Fides, quæ breuitas, ſuauitas; Quod auctoris conſiliū, & quā occulta calliditas. Inuentio.

Deinde quanta in diuidendo prudētia, quam ſubtilis & crebra argumentatio. Quibus inſtet viribus, qua iucunditate permulceat, quanta in maledictis aſperitas, in iocis vrbanitas. Vt denique dominetur in affectibus, atque in pectora irrumpat, animosque transformet ac rapiat. Diſpoſitio.

Elocutio. *Tum quod verbum proprium, tranſlatum, ornatum, nouatum, inuſitatum, Poëticum vel Oratorium.*

Item vbi Amplificatio laudāda, vbi breuitas accommodata, quæ figura verborū, quæ leuis, quæ aſpera, quæ mollis, quæ virilis, quæ numeroſa Compoſitio. Qua de re legendus Iac. Strebæus de collocatione oratoria capite XI. lib. II. & ſequentibus.

II. Obſeruādum ſi qua paulo illuſtrior Sententia, ſi quod Prouerbium, ſi qua Similitudo aut Comparatio non inepta, ſi quod Exemplum quod moribus accommodari poßit. Breuiter in omni pene auctorum lectione diligenter obſeruandum eſt, quid ſequendum ſit vel fugiendum, & quidquid ad moralem Philoſophiam pertinet. Ex qua ſcilicet omnis ferme honeſtè viuendi ratio peti debet.

III. Studioſè quoque ac diligenter inſpiciendi ſunt loci communes, & à proprijs perſonis & temporibus, & temporibus auocati, redigendi ſunt in ſuum quilibet ordinem.

Sed vt hæc omnia à diligentioribus Diſcipulis facile poßint perfici, neceſſe eſt Præceptorem hæc inter prælegendum accuratè pueris demonſtrare, eademque denuo repoſcere ab ijs, & eorum iudicia experiri.

De multiplici Exercitatione Styli.

I. Singulis hebdomadibus Carmen ſemel exhibendum.

II. Alternis Septimanis ſcribenda Græca Epiſtola.

III. Græca frequenter in Latinum ſermonem conuertantur.

IIII. Tr-

IIII. *Tertio vel Quarto quoq; menſe, publicè ſemel declamandum, Themate vnà cum Diſpoſitione argumentorum ab ipſo Præceptore præſcripto & dictato. Atq; hæc in genere fere de Exercitatione Styli. Nūc vero de eadem agendum paulo explicatius.*

Illud igitur primū admonendum, ne huius Claſsis auditoribus proponatur Materia abſolutè pertractata, vt nihil ipſorum relinquatur Inuentioni. Neq; tamē nuda prorſus, ſed circunſtantijs aliquot circumſcripta, vt aſſueſcant velut ad certum Scopum dirigere ſagittas, & ex his Sententias, argumenta, & argumentorum probationes, Amplificationes, aliasq́ue figuras comminiſci.

Interim hoc etiam agant Inſtitutores, ne proponāt materias nimis ſteriles, ac velut ieiunas. Nam facile remedium eſt vbertatis; Sterilitas vero vix ſummo labore ſuperatur; Et mauult Cicero Adoleſcentem nonnihil luxuriantem, vnde poſsis aliquid amputare, quam iuſtò ſteriliorem.

In Cicerone iubeantur interdū vti nunc Ecphraſi, nunc Paraphraſi; Eſt autem Ecphraſis ſimpliciſsima Sententiarum redditio cum ſenſa videlicet craſsè & ſinceriter exprimuntur; Paraphraſis vero eſt plenior inſtructiorq́ue ſcripti alicuius explicatio, cum videlicet Conſilia, rationes, probationes, & his ſimilia paſsim inſeruntur. Quod diſcrimen ſi obſerues, vides Ecphraſin Epiſtolis illis familiaribus magis conuenire, vt Paraphraſin Orationibus.

Nonnun-

Nonnunquam iubebit Inſtitutor omnes accipere thema cuiuſlibet, & diligenter obſeruare, ſi quid animaduertant reprehendendam aut imitandũ, & quid ſecutus, qui feliciter affectauit. Ceterum ſiue quid laudes, ſiue reprehendas, vtrumque & cum modo, & variè faciendum, vt neque quiſquam de ſe deſperet, neque deſpiciat quemquam.

Conducet & illud, ſi ad mediocritatem progreſſis proponatur idem argumentum iterum ac tertio alijs verbis, aliaque ſermonis figura tractandum. Quæ res dictu mirum, quam conferat ad parandam orationis copiam, ac bene diuitem ſupellectilem. Id autem potiſſimum fiat in thematibus breuioribus.

Iam illud etiam ad Inuentionis facultatem pertinebit, ſi palinodijs exerceantur, vt quod modo ſuaſerint rurſus diſſuadeant; Quod in cælum laudibus tulerint, id vituperando ad inferos deijciant: Ad quod ſint adhortati, rurſum ab eo deterreant: Vt videlicet nunc pro Litteris, nunc contra litteras; Nunc pro diuitijs, nunc contra diuitias ſcribant.

Eodem pertinent, quæ per collationem ſeu contentionem tractantur. Vt vtrum plus valeat ad parandam famam, militiæ an litterarum ſtudium. Vtrum ad rem parandam vtilior ſit iuris prudentia, an ſtudium medicinæ, Vtrum litterarum gratia ſatius ſit Patauium petere an Lutetiam, Coloniam an Treuiros, Duacum an Louanium.

Idem fit in perſonis, vter ſit dux melior, Hannibal an Scipio, vter philoſophus excellentior Plato an Ariſtoteles.

Ceterum hoc loco non omittendum, quod Plinius admonet Nouocomenſis, vt nec indecora quis dicat, nec aliena, abſurda vel repugnantia; reſpiciendum ſæpe ad titulum ſeu quæſtionem & materiam propoſitam: Atque hoc pacto Scriptor continebitur intra propoſiti argumenti limites ac terminos, ne extra ſcopum iaculetur.

De ratione emendandi.

Non ſatis habebit Doctor manifeſta ſermonis vitia, vt barbariſmum Solœciſmum & his ſimilia caſtigare; Verum ſi quod verbum parum elegans; ſi minus ornatum; ſi ſordidum; ſi durius tranſlatum; ſi quid abſurdius cōpoſitum; ſi quid inſuaue; ſi quid aſperum vel horridum; ſi quid hiulcum; ſi quid confuſum; aut in ordine perturbatum; id emendandum, mutandumque.

Tum ſi quid aliquo loco dictum, quod alio magis quadrabit, ſi quid otioſum; ſi quid additum, quod non cohæreat; ſi quid prateritum, quod inſeri oportebat; Si quod argumentum futile, vanum, aut vitioſum, ſi quod decus parum feliciter affectatum, ſi iocus frigidior, ſi quid languidius dictū quod acrius oportebat, ſi verboſius tractatum, quod oportebat breuius perſtrictum: Aut contra breuius, quod fuſius pertractandum.

Quæ

Quæ vero tolerari adhuc poſſint, quæ minimè, copioſè ſatis diximus Claſſe ſuperiori, quæ ad hanc minus Claſſem pertinent quam ad illam.

De Declamationibus.

Duo ſunt Exercitationum genera, cum primis celebrata, quorum vnum in declamationibus; alterũ in Diſputationibus poſitum: quæ, quod in ijs cardo profectus ſtudioſorum vertatur, per ipſos Præceptores frequenter vrgenda ſunt. Nec enim quantum promouerint hactenus, quidúe humeri valeant, quid ferre recuſent, vel adoleſcentes ipſi vmquam percipere poterunt, niſi in huiuſmodi Progymnaſmatis viriũ ſuarum periculum fecerint, Vel Præceptores de Diſcipulorum profectu, aut quando Academijs ſint idonei, ſatis poterunt iudicare, niſi in his Præexercitamentis virile aliquid attentantes, aliquoties audierint.

His adde, quod ex his duobus Exercitationum generibus, vniuerſi qui adſunt auditores, ampliſſimum fructũ ſunt percepturi, qui & de argumento, quod in his Exercitijs pertractatur, pleniſſimè inſtituentur. Tum vero & ipſi ad ſtudiorũ labores libentiori animo ſubeundos reddentur expeditiores, & mirabiliter ſtatim ad efficiendum ſimilia accendentur.

Declamationes quæ ſint omnes intelligunt, earũq; vtilitates omnes confitentur; Sed pauci ſunt qui quod confitentur & laudant, idem vſurpent atque colant; Rectoris igitur Scholæ officium ſit, vt videat, ne declamandi cõſuetudo intermittatur; Sed vt ſtatis temporibus

poribus Declamationes ſemper habeantur, in quibus extare debent certa doctrinæ morum & eloquentiæ indicia.

Declamaturi primùm ex Rhetorum præceptis artificium omne Docendi, Delectandi & Mouendi neceſſariò petere debent: Ex iiſdem quoque petituri Inueniendi, Diſponendi, & recte Eloquendi rationem ac modum. Prodeſt vero plurimùm, res ipſas tractandas, prius diſponere, & quaſi adumbrare, pictorumque exemplo extremas lineas ducere, quam Elocutio & ornamenta accedant.

Obſeruandum vero eſt in hac Exercitatione, vt nimirum Declamationes ſint multo labore ac ſtudio elaboratæ, non autem extemporariæ, quas, priuſquam cum ætate iudicium firmetur, video doctis non probari; quod impræmeditati ſermones multa fere leuitate incuriaque referti ſunt, crebroque & in tempore, in loco, in perſonis, atque in decoro peccare grauiter conſueuerũt, vt tales Declamatores, garruli magis, quam eloquentes & eruditi appareant.

Porro quod ad Declamationis materiam ſeu argumentum attinet, Incipiendum initio ab illuſtrium virorum laudationibus, vt qui de Pietate, Eccleſia, aut Reip. bene meriti ſunt. Vt ſit Exemplum Abrahamus, Iobus, Ioſephus, Daniël, Paulus Apoſtolus, Paula Romana, apud Hieronymum. Imperatores, Conſtantinus vel Theodoſius, Vel Carolus Quintus.

ma & iucundiſſima eſt, cuiusque exempla plurima ſunt in manibus, vt apud Ioach. Perioniū, Vitæ ſanctorum Patriarcharū & Apoſtolorum, Apud Aloyſium Lipomanum, & Laurentiū Surium, Vitæ Sanctorum, Apud Suetonium Imperatorum; Apud Plinium, Hieronymum, ac nuper Paulum Iouium, virorum illuſtrium.

Sic Facta laudantur, Vt quod Abraham filium immolauit, Quod David occidit Goliath. Item Hoſpitalitas Abrahæ, Patientia Iob, & alia plurima Chriſtianorum Regum, Principum, Epiſcoporum, & eruditorum hominum egregia facinora celebrantur in hiſtorijs præſertim Eccleſiaſticis. Item apud Val. Maximum, & Baptiſtam Fulgoſium.

Sic in Rerum laudibus exempla fuerint, Oratio, Ieiunium, Eleëmoſyna, ſeu beneficentia & liberalitas in pauperes, Patientia, Virginitas, Cælibatus, Vita ſolitaria, Vita Scholaſtica, Pædagogorum dignitas. Item encomia Regionum, Vrbium, Ædificiorum, Fluminum, Montium, &c.

Huc pertinent, quæ laudationibus vicinæ ſunt, Exhortationes ac Dehortationes, ad Epiſcopos, Principes, Magiſtratus, ad Parentes, vel ipſam etiam Iuuentutem. Item Conſolationes tempore belli, famis, peſtis, perſecutionis, egeſtatis; Adhæc querelæ, de calamitatibus bellicis, de miſeranda cōditione Eccleſiarum idoneis paſtoribus nunc paſſim deſertarum.

Huc ſpectant quæ ſcribuntur contra luxū in cibo, potu.

potu, veſtitu, ſupellectile, ædificijs. Item cõtra Ebrietatem, Iram, Auaritiam, Obtrectationem, &c.

Sed hic in primis cauendum, ne turpia vel abſurda oſtentandi ingenij cauſſa laudent; & honeſta vituperent. Nuſquam rectius vires ingenij, quam in bonis materijs demonſtrari & oſtentari poſſunt.

Poſtremò quod ad materiam attinet, Declamatione pertractantur omnes cõtrariæ actiones, vt Laudantis & vituperantis, Suadentis & diſſuadentis, Accuſantis & defendentis.

De Diſputatione.

Alterum huius Claßis exercitium eſt Diſputatio, quæ ad Dialecticum ſpectat, vt Declamatio ad Rhetorem. Iam etſi Diſputationem per omnes fere Claſſes vſurpandam diximus, in hac tamen Claſſe paulo aliter quam in ſuperioribus inſtituenda eſt: Etenim Diſputationum theſes non iam ex artibus dicendi Grammatica, Dialectica, vel Rhetorica ſumendæ ſunt; ſed eligendæ ſunt Quæſtiones ad vitam vtiles, vt themata vel Ethica vel Scholaſtica, de ratione recte docendi diſcendique, quæ iudicium de moribus & communibus ſtudijs forment.

Hiſtoria præterea & Poëſis varias Declamationum & Diſputationum (quæ materia non differunt, Nam quæ Diſputatio breuiter proponit more Dialectico, Declamatio copioſe, verbis elegantibus, & ponderoſis argumentis exponit, vt hæc illam rectè ſequatur) theſes facile poterit ſuppeditare, vt ſunt facta &

M

dicta illuſtrium virorum. Item varia negotia quæ de improuiſo frequenter incidũt. Nam Diſputationis ductu cõpendioſiſſimè ad Veritatẽ ipſam penetratur.

Proponi autem poterunt Themata nũc ſimplicia, nunc compoſita, per quæſtiones Methodi, quemadmodum hoc in Dialecticis docetur. Poſſunt interdũ etiã quædam proponi in vtramque partem diſputanda.

Vt, Liceátne Chriſtianis bellum gerere, an non?

Cæſárne an Põpeius iuſtiorẽ habuerit belli cauſſam?

Sitne Poëtarum lectio in Scholis licita, an non?

Militiáne an litterarum ſtudium plus valeat ad parandam famam?

Naturáne an ars plus in Poëſi valeat?

Medicináne an prudentia iuris, ciuitatibus ſit vtilior?

Vtrum deteriores ſint, luſorésne an bibuli?

Vter dux melior, Hannibal an Scipio?

Ciceróne an Eraſmus rectius ſtylum inſtituerit?

Cauendum vero ne theſes proponantur ſublimiores & arduæ magis, quam vt ad eas puerilis ingenij acies pertingere queat, ne vt onera paulo grauiora ſubeuntibus nocent: ita quoque adoleſcentes altioribus quæſtionibus nimis prægrauati ac preſſi hinc damni aliquid accipiant.

Videndum proinde ne vmquam res ſacræ in ſcholis huiuſmodi puerilibus, vocentur in dubium, aut in diſputationem admittantur; ad quas neceſſariò requiritur ingenij & ætatis maturitas; Adhæc Scripturæ

ſacræ & Sanctorum Patrum multa & diligens lectio, aſſiduaque & meditata diſcuſſio. Huiuſmodi igitur Diſputationes de negocijs Fidei vel Religionis, vna cũ ipſius Scripturæ ſacræ interpretatione Academijs relinquenda ſunt.

Admittendi ſunt autem ad Diſputationes huius Claſſis audiendas, etiam auditores Secundæ Claſſis, & interdum, ſi videbitur, Tertiæ; Qui licet argumentandi rationem non intelligant, rem tamen ipſam aſſequi aliquo modo poſſunt.

At priuſquam ſermonem plus ſatis longum de huius Claſſis Exercitamentis vel tandem concludam, vnum hoc prius adijciendum, vt nimirum cum Styli exercitia in hac & ſuperiori Claſſe appareant initio adoleſcentibus nimis difficilia ac laborioſa, meminerint tum Præceptores addere illis animum & alacritatem, ne laboris multo vtiliſſimi obrepat vllum faſtidium.

Commemorent igitur, quod illa quæ initio nimium dura ac difficilia videantur, tempore & aſſuetudine omnia fient mitiora. Immo fructus, quem hinc conſequentur, laborem omnem merito mollire ac mitigare debet: ſiquidem & lingua mirificè in illis expolietur, Memoria reddetur viuacior, perfectamq́; multarum rerum cognitionem hinc ſentient accedere. Ad inueniendum prompti, ad diſponendum eloquendumq́ue parati, Ad declamandum diſputandúmve quouis tempore expediti reddentur. Et breuiter ad quaſ-

cunque cauſſas eruditè & cum gratia explicandas inſtructi euadent.

De actione Tragica.

Poteſt etiam nonnunquam agi Tragoedia aliqua, vt differentia inter Comoediam & Tragoediam clarius conſpiciatur. Quidam valdè crebrò agendas fabulas curant; Sed cauendum ne hiſtrionica leuitate animi pueriles imbuantur. Recitationem ſine actione vtiliorem duxerim; Sed hæc minus iucunda eſt, Magiſtrorum igitur prudentiæ & curæ hæc committamus.

Libri aliquot priuatæ lectionis.

Adagiorum chiliades iam repurgatæ & auctæ.
Officina Ioan. Textoris Rauiſij.
Primus & Secundus T. Liuij Libri.
Liber Septimus Hiſtoriæ Plinij.
Valerius Maximus: Aulus Gellius.
Quintilianus, Topica Rod. Agricolæ.
Quæſtiones philoſophicæ Cic. primi Tomi.
Reliqui Ciceronis, de Rep. libri.

Græci.

Oeconomia Xenophontis.
Moralia Plutarchi.
Libellus eiuſdem de Poëtarum lectione.
Aliquid Sophoclis, Theognidis, vel Phocylidis.
Demoſthenis vel Homeri quidpiam.

Poëtæ item comparandi, tum Latini, tum Græci, ac deinde reliqui Scriptores, non omnes quidem illi,

ſed neceſſarij ac vtiles tantum; Nam vt bonus Oeconomus ſe non ſuperuacua ſupellectile onerat: ita quoque ſtudioſus adoleſcens, non omnes, ſed neceſſarios ſibi comparabit libros, quos ipſi Præceptor, vtiles fore iudicarit.

De ſtudio priuato vtiliter in quauis Claſſe inſtituendo.

Viſum iã eſt hoc loco paulo pluribus admonere de Studio priuato, tum quod ex eo plurimæ & maximæ commoditates facile queant percipi; ſi modo rectè & vtiliter inſtituatur, tum vt cõſilij noſtri, quod de hoc ſtudio ante ſuggeſſimus, omnibus probè conſtet ratio.

Hoc igitur primùm, etſi iam ſæpius in ſuperioribus Claſſibus admonui, plures in vſum priuatũ comparandos eſſe libros, nõ hoc tamẽ volui, vt temere nunc in hunc, nunc in illum auctorem rapiaris, nihil penſi habens quid legas, quídue ediſcas, multa modo legas, multa ediſcas, multosq́; euoluas auctores ac libros, quo ſtudijs pæne nihil nocentius.

Sed hic noſtri conſilij ſcopus eſt, vt ex ijs quos præſcripſi, vnũ aliquẽ in manus ſumas, qui ſcilicet ad eos libros, qui enarrantur in Scholis bene intelligendos præ ceteris cõferre videatur, nõ relicturus priuſquam ad calcem perueneris, annotatis interim diligenter ijs omnibus, quæ memoratu digna videbuntur.

Tria in omni lectione conſideranda.

In omni Scriptorum lectione tria potiſſimum ſunt obſeruanda. Verba, Loquendi formulæ, & Res ipſæ.

Hoc eſt: Voces ſingulæ; Voces coniunctæ ſeu phraſes: & Senſa. Vt nimirum diligenter conſideres, quibus vtantur verbis, ad res de quibus tractant explicandas, & quibus loquendi formulis. Tum res ipſæ ſpectandæ, quid ſibi velint ea de quibus loquuntur.

In ſingulis horum eſt quod ſignes, eſt quod teneas, eſt quod in vſum tuum vertas. Sit ſemper ad manum calamus & liber chartaceus, in quo quidquid notatu dignum occurrerit, ſeu Vocabulum, ſeu Phraſis elegãs, ſeu Prouerbium, Similitudo, Sententia, vel ſi quid aliud his ſimile deſcribatur. Nec enim tam referre putes, quam multa legas, ſed quam multum, Pulcrè enim hoc, vt alia multa Seneca, Varia, *inquit*, Lectio delectat, certa prodeſt.

Si tamen vno non contentus, alterum quoque auctorem ſeu Librum adiungere velis, hoc licebit vti conſilio. Diſtribues tibi ſtudia quaſi in certas horas, vt ſcilicet certò ſtatuas, ac ipſe tibi præſcribas, quid quibus horis Diei aut legere, aut agere velis, idq́ in Chartula deſcribendum, quam ſemper oculis obiectam, ac in conſpectu habeas, quo ſubinde officij tui admonearis, nec vllum tempus, quo non aliquid diſcas præterire ſinas. Quo quemque Plinianum illud incitare debet:

Omne perit tẽpus, quod ſtudijs nõ impertias.

& illud.

Iactura nulla maior eſt quam Temporis.

Aut illud Theophraſti.

Precioſiſsimus ſumptus eſt Tempus.

Quæ merito in omnibus Scholis, Muſeis, et ſtudioſorum cubiculis deſcripta, quocunque ſe quis vertat, oculis ſemper debent obuerſari, vt longè ab illis diſſentiamus, qui bonam vitæ partem inutili perdunt ocio, nugis, luſu, temulentia, ſomno.

Porro vt hanc ſtudiorum rationem maiori cura ſemper obſerues ac retineas, tibi ipſe mulctam præſcribes, quam & ſeueriter repoſcas, ſi quando paſſus fueris diem vnum abire, quo tibi præſcriptam hanc ſtudiorum rationem neglexeris.

Denique & illud admonendum, non omne tempus à Lectionibus Scholæ vacuum, priuatæ lectionis libris eſſe deſtinandum, cum Exercitatio Styli non minimum requirat ſtudij, laboris, ac temporis. Et ſæpe repeti debeāt libri & auctores qui in Schola ſunt enarrati, vt lectionibus alijs temporis non multum relinquatur.

INSTITVTIONVM SCHOLASTICARVM.

LIBER III.

HActenus quæ ad Iuuentutem in litteris humanioribus rectè inſtituendam afferre aliquid adiumenti, experientia nonnulla nos ipſi didicimus; Quæque præterea ſuggeſſerunt doctorum quorundam accuratè conſcriptæ huius argumenti lucubrationes: Et quæ poſtremò ſuppeditarunt de Libris in ſingulis Claſſibus enarrandis celeberrimæ aliquot Societatis ſcholæ, ordine quo licuit conuenientiore digeſſimus.

Reliquum nunc eſt, vt alteram quoque Inſtitutionis Scholaſticæ partem, eamq́; omniũ vtiliſſimam, Reiq́ue publicæ maximè neceſſariam, vt quæ de Pietate, Religione, & rectè viuendi ratione tractat, non minori ſtudio, labore, ac induſtria perſtringamus: quod ea videlicet cum Eruditione ac litteris, ita iuncta ſit, & indiſcreta, vt omnino neceſſe ſit, non minores in ea progreſſus fieri, quàm in litteris profanis & Latini ſermonis perceptione: vt eaq́ ſchola omnium optima iudicetur, in qua non minor Pietatis & Morum, quam Eruditionis & Doctrinæ ratio habeatur. Immo ſi horum fortaſſis alterũ deſideretur, vt Scholas litterarum ſtudijs quidem prodeſſe Reip. moribus vero eaſdẽ obeſſe appareat, multo potior bene viuendi

ratio quam rectè & eleganter dicendi, videri debet. Virtus ſiquidem etſi nulla doctrina firmetur, per ſe tamen ipſa ſplendet. Doctrina vero abſque bonis moribus & Virtute minimùm prodeſſe poteſt, ſed ſimul iuncta, Virtus nimirum & Eruditio, parant perennem & immortalem gloriam.

Vnde nec immerito magnũ illud & illuſtre Cappadocum lumen Baſilius Magnus, pueros, quos Libanio Sophiſtæ erudiendos tradebat, Pietatem ac ingenuos viuẽdi mores, vnà cum litteris doceri demandabat. Et Imp. Iuſtinianus Profeſſoribus præcipere conſueuit, vt primò quidem animas, deinde linguas eruditas fieri procurarent.

Quid quod ipſa quoque litterarum Eruditio abſq; Pietate ac Virtute vel non facile obtingat cuiquam, cum dicat Scriptura, In animam maleuolam non introibit Sapientia, neque habitabit in corpore ſubdito Peccatis. Vel certè cõtinget & in magnã & poſſeſſoris ſui & aliorum perniciem; quò enim Diſciplina quæque præſtantior eſt magiſque neceſſaria, eo quoq; eſt pernicioſior, ſi contingat improbo. Quo fit, vt qui ad litterarum ſtudia mentem afferant voluptatibus prauiſque cupiditatibus vel erroribus quibuſdã præoccupatam, parum etiam apud præſtantiſsimos magiſtros proficiant. Nam quod frugibus euenit, in terra ſentibus ac rubis occupata: vt illis ſuccreſcendi locus intercipiatur: Ita quoque Virtutis ac Sapientiæ ſtudio inter peſtes animorum locus nullus inuenitur.

Quod & ipſa æterna Dei ſapientia Chriſtus Dominus Matth.9.luculenter indicat, cum docet vinum nouum, vt conſeruetur, infundendum, non in veteres, ſed in vtres nouos, & Poëta ait gentilis: Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis aceſcit.

Ceterum priuſquam oſtendamus, quantum in hac parte peccatum ſit à multis, rogandus es nobis beneuole Lector, nequid demireris nos in ſingulis Claſſibus admonere tam multis verbis, tantoque ſtudio ac diligentia inculcare, eademque iterum atque iterum, ſubinde repetere, quæ tu fortaſſe nullum ignorare exiſtimes Præceptorem. Huc igitur adſis & paucis auſculta, quæ nos huc cauſſa impulerit.

Vt concedamus hæc noſtra ſeu Præcepta, ſeu Monita, ſiue Conſilia, omnes Scholarum magiſtros probè tenere, operæ preciū tamen eſſe viſum eſt, vnumquemque ſui muneris ac officij in hac ſcholaſtica functione liberius paulo admonere, vt ea nimirum quæ tradit in Puerorum Catechiſmo, ab iiſdem quoque procuret accommodari ad praxin, adducique in vſum & quotidianum exercitium, hoc eſt, & ipſis moribus & vita tota exprimi. Qua in re quantum à pleriſque ceſſatum ſit hactenus, facile cognoris, ſi primæ ætatis ſtupendam & intolerandam inſcitiam, mores planè ruſticos & incompoſitos, diligentius paulo conſideraueris, aut ea certe memineris quæ fere initio lib. primi de diſcipulorum vitijs ſatis copioſè diſſeruimus.

Vt igitur neglecta omnia ſarciantur, morumque

diſciplina reſtituatur, monitos vel potius obſecratos velim omnes huius primæ ætatis formatores, & Scholarum magiſtros, ne quid ipſos vnquam vel pigeat vel pudeat, hanc Chriſtianæ Pietatis doctrinam frequenter & exactè pueris inculcare, & ad ea in ſpeciem minima, re verò ipſa multo maxima, ſæpe deſcendere; Nihil enim humile nihilque negligendum cuiquam videri debet, quod ſtudioſæ Iuuentutis informandæ erudiendæque cauſſa ſuſcipitur. Sed econtrario honeſtum, præclarum, ac verè Chriſtianũ eſſe munus exiſtimandum eſt, bonis moribus ac litteris erudire fideliter Iuuentutem, nec in vllam ætatem collocari rectius beneficium, nec aliunde etiam expectari vberiorem laboris noſtri & induſtriæ fructum, cum hæc ſeges ſit ac ſilua totius Reip. Chriſtianæ; quæ ſine recta puerorum inſtitutione nequit diu ſalua & incolumis conſiſtere: ſed neceſſe eſt eam talem quoque ſenſim fieri, qualis fuerit diſciplina & educatio puerilis ætatis, vt veriſsimũ ſit illud quod olim Hippodomus ille Pythagoreus dixiſſe legitur; Reip. perniciem ex eo potiſſimùm prouenire, quod brutis animantibus plantisq́; curandis diligentius homines incumberẽt quàm educandæ Iuuentuti. Quodnam, inquit, eſt fundamentum Reipublicæ? Adoleſcentiæ educatio. Haud enim vites vtilem fructum protulerint, niſi excolantur: Nec vnquam pulcri fient equi pullorũ educatione neglecta. Vites vero vt putari curarique debeant, atque educari canes, ſtudium eſt hominibus: Ingeniorum hu-

manorum cultus negligitur, & temere tractatur, quamuis vinum & equi non regunt Ciuitatem: ſed homo & hominis animus.

Nec ſanè immeritò illud aureum Græcæ orationis flumen Io. Chryſoſtomus deplorat, maiorem aſinorum & equorum quam filiorum curam à multis haberi: Si, inquit, burdonibus atque aſinis agaſo nobis præficiendus, non parum vigilamus, ne aut dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus; Sin verò ad colendum filiorum ingenium Pædagogus ſit nobis inueniendus, qui caſu oblatus fuerit, eum recipimus, nec conſideramus vllam artem hoc artificio ſublimiorem inueniri.

Diogenes quoque olim ſe mirari dicebat, quod nemo ollam vel operculum emeret, ſine tinnitu vel experimento: In homine emendo & ſeligendis Præceptoribus atque magiſtris, ſatis haberent aſpicere.

Magnus adhæc Baſilius, Turpe, ait, exiſtere, ciborum quibus corpus ſuſtentatur delectum inſtituere, eosque reijcere, qui nocituri videantur: Diſciplinarum vero, quæ animum nutriunt nullam haberi rationem.

Sed quorſum hæc tam multa? Certè vel hoc tantum nomine prima hæc ætas accuratius debet informari, quod ipſe Chriſtus (cuius omnis actio noſtra inſtructio eſt) hanc ipſam non contempſerit;

ſed

ſed potius grauiter eos increpuerit, qui pueros ad ſe venire prohiberent: Sinite, inquit, paruulos venire ad me, talium eſt enim Regnum Cælorum: ſatis luculenter vel hoc vno exemplo nos erudiens, quam hæc ætas pura omnino & illibata curæ ſibi fuerit. Vnde quod ad diſcipulos propriè & Eccleſiarum Paſtores ipſum dixiſſe conſtat, Magnos futuros in Regno cælorum, qui & piè ipſi viuerent, & rectè alios edocerent: ad rudioris ætatis formatores rectè etiam pertinere poteſt, qui & ipſi in eo potiſſimùm, quod Diſcipulos ſuos imbuant Chriſtianis moribus & vera pietate, paſtores quoque haberi poſſint.

Ciceronis quoque eſt in Scipionis ſomnio, Omnibus qui Remp. conſeruant, certum eſſe in Cælo definitum locum, vbi beati ſempiterno æuo fruantur. D. adhæc Chryſoſtomus, Rem nullam Deo gratiorem eſſe ait, quam vitam ſuam ad vtilitatem & conſeruationem Rerum public. conferre. Nam inter ea, quæ ab hominibus colendi Dei gratia, certè rectè, nihil illi tam gratum acceptumq́ue eſt, quam pro virili operam dare, vt homines reddantur meliores.

Chriſti igitur doctrina & exemplum, eiusq́ue ampliſſima merces, quam pro pio hoc labore rependet liberaliſſimus bonorum operum remunerator, Salus adhæc & incolumitas totius Reip. Chriſtianæ, Ingens præterea litterarum ac veræ Pietatis fructus,

erigere

erigere debet omnes ac inflammare, huius primæ ætatis formatores, ad hanc tam vtilem Reip. Scholaſticam functionem libentius & alacrius obeundam.

Poſtremò meminiſſe debent Ludimagiſtri, verbi illius cæleſtis Patris familias: Quid hic ſtatis tota die ocioſi? Ite & vos in vineam meam. *In vineam vocamur omnes & ad labores, cuiuſcunque ſumus, aut ordinis, aut inſtituti, non ad ocia, vel luſus, non ad conuiuia & compotationes; Scholarum vero adminiſtratio, vt eſt vinea, qua non eſt alia (ſi modo rectè excolatur) nec bonitate fructuum præſtantior, nec multiplicitate feracior, nec alia denique humanis vſibus magis neceſſaria: ita nulla omnino maiore eget cultu vel labore: Etenim ſi diligentia, ſtudio, & qua decet arte & induſtria hanc excolueris, fructus producet non multo poſt longè vberrimos, & vniuerſæ Reip. maximè omnium ſalutares: Neglecta vero contra; fructus proferet humano vſui planè pernicioſos. Hanc igitur excole, & vniuerſam Remp. Diuino affeceris beneficio: Neglexeris vero, perniciem ipſi certam indubitatamque attuleris. Qua in re ne longiores hic ſimus, vel præſentes florentiſſimæ olim Galliæ, & nobiliſſimi potentiſſimique Belgij querelæ, iſtuc ipſum veriſſimum eſſe ſatis manifeſtè conteſtantur.*

Nos igitur vnde dudum digreſſi ſumus, ad Pietatis exercitia nunc redeamus, quod argumĕtum cum ſit ampliſſimum, tractationem quoque vberrimam

lon-

longiſſimamque poſtularet. Sed cum ſuperiori libro opinione fuerimus longiores, ne quem hic quoque prolixitate immodica offendamus, cōtrahemus hanc materiam ad aliquod compendium, & in certa quædam Capita, quæ cuiusque ætati, & ſingularum Claſſium intelligentiæ adnitemur pro viribus accommodare.

Præcipuum igitur argumentum, ac velut totius huius Inſtitutionis ſumma pauciſſimis his verbis Prophetæ Regij comprehenditur. DECLINA A MALO, ET FAC BONVM. *Ad partem priorem tria pertinent. Primum eſt, diligenter conſiderare huiuſmodi mala, hoc eſt, Peccata, quibus paruulorum ætas conſueuit magis eſſe obnoxia. Proximum eſt tenere certam aliquam rationem, qua admiſſa denuo remittantur. Tertium eſt noſſe qua ratione ac modo in poſterum facilius euitentur.*

In declinando igitur ſeu diuertendo à malo conſiſtit prima ratio comparandæ virtutis & omnis Chriſtianæ Pietatis, quod nec Poëtam licet ethnicum fugiſſe conſtat, qui dixit, Virtus eſt vitium fugere.

Addit vero Propheta, Et fac bonū; Quod nimirum hæc vitiorum fuga, ſeu vitiorum deuitatio ad animæ ſalutem conſequendam nequaquam ſufficiat, niſi acceſſerint opera Pænitentiæ, & Chriſtianarum Virtutum exercitia, idque vel vnicum Chriſti, qui in omnibus & verax eſt & ipſa Veritas, teſtimoniū luculenter nos edocuerit. Omnis *(inquit)* arbor, quæ non facit fructum bonū, excidetur, & in ignem

mittetur. *Recte igitur à Propheta adiectum,* Et fac bonum, *hoc eſt, Virtutis opera. Idem præcipit & Eſaias, Quieſcite, inquiens, agere peruerſè, & diſcite bene facere. Quin & magnus ille gentium doctor accuratè quoque admonet exuendum eſſe veterem hominem, & induendum nouum.*

In quibus omnibus prius conſiſtit in cognoſcendis fugiendisque malis; Poſterius in expetendis & conſectandis bonis. De vtroque igitur dicturi ſumus in ſingulis huius Scholæ ordinibus. De priore potiſſimum in primis Claſſibus. De altero in Curijs poſterioribus.

CLAS-

CLASSIS VII.

Summa Doctrinæ & Praxios, Claſsis VII.

- *Chriſtianæ Pietatis.*
  - *Prima Rudimēta.*
    - *Libellus*
      - *Catechiſticus.*
      - *Liturgicus.*
    - *Doctrina eorum quæ in praxi ſequenti proponuntur exercenda.*
  - *Praxis*
    - *Cauere Peccata primæ ætatis. Et exercere Virtutes contrarias.*
    - *Meminiſſe ſæpe cauſſas ob quas Peccata fugienda ſint.*
    - *Parentum Præceptorum & Maiorum iuſsis religiosè obtemperare.*
    - *Vacare ſanctis Precibus, in Templo, in Menſa, in Cubiculo mane & veſperi.*
    - *Miniſtrare Miſſæ ſacrificio. Et leges ac ritus Templi obſeruare.*

Cum ex ijs, quæ ſupra adduximus, iam ſatis conſtare exiſtimem, duas eſſe veræ Iuſtitiæ partes; ex ijſdem quoque intelligitur præcipuum Ludimagiſtri in hoc Chriſtianæ Militiæ tirocinio officium ac ſtudium eſſe debere, vt Tirunculum ſibi commiſſum doceat Vitare Malum, & ſectari Bonũ. *Quo breui compendio, vniuerſa fere huius Tertij libri ſumma comprehenditur. Vt igitur priorem partem Præceptor feliciter auſpicetur, primùm omnium neceſſe eſt conſiderare, quam doceat ætatem. Habet enim vnaquæque ætas ſua vitia, ad quæ ſuapte natura videatur magis propendere.*

Sic in prima Pueritia, maximè ſi fuerint parentes ipſi in liberis rectè educandis paulo negligentiores,

pullulantium primum vitiorũ, quaſi ſeminaria quædam inueniuntur, quæ ſi primis his annis ſuccreſcere ſinas, poſtea vix, aut ne vix quidem ſummo conatu euellere tentes. Nam vt mendũ aliquod quo diutius inhæſit, eo difficilius tollitur: ita vitia inueterata non facile quoque corriguntur.

Huiuſmodi porro vitia puerili ætati nonnihil familiaria ſunt: Mendacia, Doli, Fraudes, Verſutiæ. In alijs Deriſiones, Conuitia, Rixæ, Contentiones; In alijs rurſus, Ira, Odium, Inuidia, Obtrectatio, Item Scurrilitas, Inſolentia, Inobedientia & Animi obſtinatio. In nonnullis clamdeſtinæ rerum minutarum ſurreptiones. Atque ita in alijs alia.

Cum igitur hanc primam ætatem fingimus, qualis ea re vera eſt, adhuc planè rudem, & rerũ ignaram, eò crebrius diligentiusq́ue de huiuſmodi debet erudiri ac inſtrui, nec ceſſandum in eo donec quod volumus confectum ſit, vt nimirum intelligat hæc omnia quæ diximus, eſſe Peccata, nec dubium eſt, quin hoc ipſo multi ab huiuſmodi abſtinebunt: præſertim cum nulli ætati quam huic primæ, facilius aliquid perſuadeatur, quæ ita in omnem partem flexilis eſt, vt quocunq; eam duxeris, ſtatim prona ſequatur.

Cum igitur Inſtitutor perſpexerit naturam pueri ad huiuſmodi fortaßis propendere, illud hoc eius tum fuerit induſtriæ ac muneris, vt ſtatim diſpiciat quibus remedijs huiuſmodi denuo curari queant: Nam vt corporis humani vulnera nõ eodem omnia curan-

tur pharmaco: ita nec omnibus morbis animorũ eadem conueniunt vel apta ſunt remedia: Qua de re copioſius Libro primo, vbi de Diſcipulorum officijs agebamus.

Nunc igitur primis his annis pueritiæ, ſuffecerit congruentium remediorum loco, diligenter docere, & ſæpe pueris inculcare, ea omnia, quæ recenſuimus, eſſe Peccata, & ob id ſummo conatu omnibus eſſe fugienda. Quod vt altius eorum hæreat mentibus, oſtendendum, ob quas cauſſas tanto illis ſtudio hæc euitanda ſunt, quarum hic duæ duntaxat adducantur, quas profert eaſdem Catechiſmus.

Quod ſcilicet Diuinam tollant fruitionem nunquam recuperandam, & pœnas accerſant ſempiternas: Siue, quod nos à cælo excluſos, præcipitent ad Inferos. Hic paucis verbis explicandum, quæ quantaque ſint Regni cæleſtis gaudia; Et quanta Supplicia Inferorum, ſine vllo vmquam fine ſemper duratura. Adhæc nos vel ob vnum peccatum letale, excludendos è Regno cælorum, & deturbandos ad Inferos, ſi dignam Pœnitentiam non egerimus: Peccatum idcirco omni re alia, etiam morte ipſa corporali magis eſſe fugiendũ. Hæc amplificanda, & in primis his Claſſibus auribus eorũ quotidie inſinuanda ſunt, donec eas iam totas cõcutiant: Ita enim futurũ eſt, vt & firmiſſimè hæreant, & ſalutarẽ quendã horrorem frequẽter in ipſis operentur & cõcitent, qui pueros, qui ingenuæ ſunt indolis, cõſueuit vehemẽter à malefactis deterrere.

Nunc ordo quidem expoſceret, vt iuxta alteram verſiculi Prophetæ Regij partem, quæ facere bonum præcipit, de Virtutibus ac bonis operibus hoc loco nō-nihil adijciamus: Sed quoniam pueri ab ipſis pæne incunabulis, ad mala quam ad bona procliuiores ſunt: fit etiam vt Vitia, quæ pronius ſequuntur facilius ac citius intelligant, quam Virtutes, quæ fere non percipiuntur, niſi quotidiana admonitione, diligenti cura, & aßiduo parentum & præceptorum ſtudio.

De Virtutibus igitur plura dicemus aliâs, vbi acceſſerit ad hæc maturior ætas, & ingenium harum rerum magis capax ac docile, in præſentia vero hæc duo duntaxat ſuffecerit diligenter in Claſſe hac infima edocuiſſe. Primum vt paruuli Parentibus ſuis, & quos Parentum loco ſemper habere debēt, Præceptoribus, Senioribus, & vtrique Magiſtratui cum Politico, tum Eccleſiaſtico in omnibus licitis & honeſtis religioſe obtemperent, atq; hoc ipſum Dei præceptum vt faciamus iubere. Honora, *inquit*, Patrem tuum & Matrē tuam, vt bene ſit tibi, & ſis lōgæuus ſuper terram. *Quæ verba etiam poſtrema ſæpe debent repeti & perſpicuè explicari.*

Alterum vero, vt doceantur paruuli vſum libelli Catechiſtici & Liturgici, quem ſuffecerit mediocriter adhuc intelligere, vt abſolutiorem eius cognitionem in Claſſem Sextam conſeruemus, Docendus nunc igitur tirunculus noſter Chriſtianæ Pietatis ſtudioſus, Vt mane ac veſperi complicatis manibus, & genibus

ante lectum humi defixis legat quotidie Precationem Dominicam & ſalutationem Angelicam. Item vt ſumpturus cibum, menſæ reuerenter aßiſtat, manus complicet, oculos demittat, ac ſic cibum ac potum conſecret; facturus idem dum ſumpto iam cibo aget Deo gratias.

Leget adhæc Pater noſter, & Aue Maria, Mane, Meridie, & Veſperi, dum ad orationem Campanæ pulſu excitamur, Mane, quidem in memoriam Dominicæ Incarnationis, aut Reſurrectionis. Meridie Paßionis, Veſperi rurſus Incarnationis. Ab huiuſmodi veluti primis Chriſtianæ Pietatis crepundijs, aut ſi mauis, progymnaſmatis, oportet tirunculum ad maiora promouendum primum auſpicari. Nec iſta proinde, vt minutiora cōtemni debent aut paruipendi, vt quæ Deo gratißima ſint & maioris Pietatis initia ac incitamenta.

Quin etiam cum vſus ſanctarum Precum homini Chriſtiano maximè neceſſarius ſit, & tota eius vita conſeruandus, multum conferre exiſtimandum eſt rei tam vtili & neceſſariæ iam inde à teneris aſſueuiſſe, & longam orandi conſuetudinem, ſic vertiſſe quaſi in naturam, vt ea nunquam in poſterum omitti queat. Notum eſt illud Horatianum, Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem, Teſta diu. Item illud ſapientißimi Regis Salomonis: Adoleſcens iuxta viam ſuā, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Optimis igitur eſt aſſueſcendum à teneris annis, eaque vt à ſingulis

religioſe obſeruentur Inſtitutor tandem perficiet, ſi iuxta verbum Apoſtoli inſtet oportunè & importunè. Nam ſicut in ſentes, vt Lactantius ait Firmianus, ager, qui eſt natura fœcundus, exuberat; ſic animus incultus vitijs ſua ſponte inualeſcentibus velut ſpinis obducitur: Sed cum verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitijs fruges Virtutis oriuntur. Deus enim hominem ſic finxit, vt poſſit capere Virtutem, ſicut terra culturam.

Dabit adhæc operã Inſtitutor noſter Philoponus, vt paruulorũ quiſque ſecum afferat in templũ Spherulas illas precatorias, quas lingua noſtrate, Rooſen hopkens/ *appellamus, quibus in Miſſa, in Veſperis & Laudibus tam diu vtantur, donec cum choro iam canere cœperint, aut certè libellos Præcationum expeditè norint legere. Præſcribatur ſingulis certũ aliquod Precationum penſum, puerorum ætati, & orandi longiori vel breuiori ſpacio nõnihil attemperatum. Quod vt ſinguli abſoluant etiam, vel Didaſcalus ipſe, vel quiſquam Diſcipulorum ad hoc deſignatus, obſeruabit, & hac in re negligentes ad Præceptorem deferet, in grege enim ſcholaſtico copioſiore neceſſe fuerit conſtituere in ſingulis Claßibus, aut ſi hæ quoq; multos comprehendant in ſingulis Decurijs aliquem veluti Corycæum & ſpeculatorem ſiue cuſtodem, qui ſub Miſſæ ſacrificio fabulantes, curſitantes, ridentes, ludentes aut laſciuientes, ſtertentes itẽ & dormientes, aut alioqui Præceptoris edictis nõ audientes, obſeruet,*

notet, & nomina eorũ deſcripta in ſchedula ad Magiſtrum deferat, vt ſic vel pœnæ formidine obtemperare aſſueſcant, qui Virtutis amore non commouentur. Munus vero iſtuc Corycæi cum videatur nonnihil odioſum ſingulis ſeptimanis ad alium quaſi in orbem obambulet, monendusq́ue eſt is ab Inſtitutore vt hoc officio ſuo iuſtè ac rectè defungatur, ne quem videlicet aut notet iniuſtè, aut peccantem accuſare diſsimulet.

Vt vero omnes in Templo maiori cura abſtineant à luſu, curſu, riſu, ac fabulis, talesq́ue ſe prorſus gerãt, quales ille locus requirit, moneantur ſubinde meminiſſe Patriarcham Iacob prædixiſſe, tremendum eſſe locum illum, Et Regium prophetam plenis quaſi buccis inclamare: Domum tuam decet ſanctitudo Domine. In tẽplo tuo omnes dicent gloriam. *Itaque qui in templis libentius inambulant, aut fabulantur quam precentur Deum, ij ſanè ſe nec pietate, nec gloria Dei, nec oratione affici re ipſa luculenter ſatis declarant. Atque hactenus de vſu Precationis Dominicæ & Angelicæ Salutationis dictum ſit.*

Supereſt nunc vt commonſtremus, quò conferat alter huius Curiæ libellus, quem ab vſu eius in miniſterio Miſſæ ſeu Liturgiæ, libellum Liturgicum appellauimus. Hic vt etiam ſupra diximus, præter generalem Peccatorum Confeſsionem complectitur reſponſiones miniſtrantium operanti ſacris Sacerdoti. Hunc igitur libellũ cum puer didicerit, iubeatur cum ſocio aliquo huius miniſterij perito, Sacerdoti rem

Diuinam facienti, cum Silentio, Quiete, Reuerentia, & Attentione ſedula miniſtrare.

Notentur vero hæc quatuor à miniſtris Sacrificantium, & ab ijs qui ſacris interſunt Concionibus religioſè eſſe obſeruanda, vt diligenter auſcultandi conſuetudo à teneris cœpta, & vnà cum ætate quaſi adoleſcentibus vertatur in habitum. Oportetque proinde puerilis ætatis formatorem tamquam Argum aliquem, omni ex parte oculatum eſſe, aſſiduumque ac ſedulum in his diligenter obſeruandis. Ignorantes huiuſcemodi diligenter inſtituat, obliuioſos admoneat, ceſſantes & deſides exhortetur incitet & extimulet.

Quotieſcumque audietur nomen, IESV, nomen quod eſt ſuper omne nomen, meminerint illi ſummam deberi reuerentiā, omneq; in eo genu flecti, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Dum Sacerdos recitat ante altare Confeſſionem, omnes in genua procūbant, & viciſſim Confeſſionem, niſi longius abſint, coram eo recitent.

Ad lectionem Euangelij omnes aſſurgant, manus complicent, conuerſoque vultu ad Sacerdotem, diligenter auſcultent.

Si qui fuerint petulantiores & tam peruerſo ingenio præditi, vt Præceptorum monitis ac iuſſis non obtemperent: ſed illic aut fabulis vacent, aut laſciuiant, amicè & placidè primùm admoneātur: Si hac parum proficiatur, & tales exiſtant, vt nec beneuolentia, nec rationibus in officio retineri, aut ad honeſta huiuſmo-

di exercitia adduci poſſint, ſeuero vultu & acrius paulo, citra tamen excandeſcentiam obiurgentur.

Sed ſi fuerint mente fortaſſe tam illiberali, vt Præceptoris obiurgatione non corrigantur, nec alia reperiatur medicina qua curari poſſint, tum certè ad ferulam aut virgam, velut ad anchoram aliquam ſacram, eſt confugiendũ, priuſquam longiore malè agendi conſuetudine aduerſus bene monentem occaleſcant, & locum tunc habeat illud ſapientiſſimi Regis Salomonis. Proue. 13. Qui parcit virgæ, odit filium. *Et cap.* 22. Stultitia alligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ effugabit eã. *Rurſus cap.* 29. Virga & correctio tribuit ſapientiam. Puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundet Matrem ſuam.

Sed hic monitos velim Præceptores, primum vt cum opus eſſe videant caſtigatione, Plautini illius recordentur: Ego, inquit, amicum hodie meum caſtigabo pro commerita noxia inuitus, niſi me inuitet, id vt faciam, fides. Deinde vt Diſcipulos ſuos comiter tractandos meminerint, non vt ſeruos, aut mancipia, ſed paterna quadam ſeueritate, & prudenter citra omnem crudelitatẽ, & cum ratione quadã ac iudicio.

Sed omnia prius experiri, quam flagris decet, vt enim nimia indulgentia Iuuentutem corrumpit: Ita nimis acerba increpatio, multos à ſtudendi propoſito repellit, vt memoratu dignum mihi videatur quod quidam dixit. Humanitas eius qui inſtituit, quan-

tum alacritatis & amoris erga pueros affert: tantum immanitas & ſæuitia, teneros animos frangit ac deijcit.

Multo igitur ſatius fuerit efficere vt Præceptor à diſcipulis ametur quàm metuatur. Nam ſeruilis ille metus efficit vt diſcipuli Præceptores veluti tyrannos auerſentur, ijsque fortaßis neſcio quæ mala interdum imprecentur.

Plagis certe non ita frequenter opus fuerit, ſi Inſtitutor aßiduus Virtutũ dux & ſtudiorum exactor fuerit. Immo quo ſæpius rectè admonebit, quo frequẽtius de æquo & bono, & de ſummo iucundoque ſtudiorum fructu diſſeret, eo certe rarius verberibus eſſe opus intelliget.

Ipſe certe, cum ante annos quatuor agerem Coloniæ in celeberrimo trium Coronarũ collegio, vt illius ſcholæ, (quæ à Societatis nominis Ieſu profeſſoribus ſumma cum laude gubernatur) laudatißimam docendi rationem ac modum accuratius ſemel perſpicerem, tam infrequentem virgarum vſum: immo in grege tam copioſo, tantam animaduerti in rebus omnibus obedientiam, tantam modeſtiam, tantamque etiam morum ciuilitatem, cum hilari quadam grauitate cõiunctam, vt cuidam tunc forte aſtanti profeſſorum dixerim, me id vehementer demirari: Huc, inquit tunc ille inter alia, non parum confert creber apud nos vſus Confeßionis, & ſacræ Euchariſtiæ ſumptionis.

Quod cum veriſſimum eſſe re ipſa quoque compe-riſſem, illorũ exemplo prouocatus, & rationibus mul-tis perſuaſus, modis id omnibus approbauerim, vt eo-dem Diſcipuli à primis ſtatim Chriſtianæ vitæ ru-dimentis paulatim per ſingulas Claſſes à Præceptori-bus inducantur. Quæ res vna multarum admonitio-num, obiurgationum, & Caſtigationum loco ac velut inſtar fuerit, & vt verius dicam, firmiſſimum fuerit fundamentum religionis ac vitæ verè Chriſtianæ, eamq́ue ob cauſam toties ac tam accuratè ſequenti-bus aliquot curijs Confeſſionis & ſacræ Communio-nis vſum commendamus.

CLAS-

CLASSIS VI.

Summa Doctrinæ & Praxios, Claſsis VI.

- *Christianæ Pietatis.*
  - *Doctrina.*
    - *Summa minoris Catechiſmi D.P.Caniſij cum interpretatione vernacula.*
    - *Breues aliquot precādi formulæ, cum vſu earum, Mane, Veſperi & in templo.*
    - *Doctrina eorum quæ in Praxi ſequenti proponuntur exercenda.*
  - *Praxis.*
    - *Cauere Peccata primæ ætatis. Et exercere Virtutes contrarias.*
    - *Cōſiderare ſæpe Peccati.*
      - *Poenam vt quod*
        - *Tollat à nobis Diuinam fruitionē. Et Regni cæleſtis gaudia.*
        - *Poenas accerſat ſempiternas, ſeu Inferni tormenta.*
      - *Vindictā. Vt quod Deꝰ propter vnū Peccatū.*
        - *Luciferū cum ſuis è cælo ad Inferos præcipitârit.*
        - *Primos nostros Parentes eiecerit ex paradiſo.*
    - *Peccata coram Dei miniſtro Sacerdote interdum confiteri.*
    - *Obtemperare ſedulo Maiorum iuſsis ac monitis.*
    - *Augere & exercere quotidianum orandi penſum.*

Puerorum ætas niſi iam inde à prima ineunte pueritia recte inſtituatur & ad omnem Christianam Pietatem informetur, antequam vitiorum habitus eos totos poſſideat, procliuis eſt ad voluptates mundi conſequendas, & nunquam perfectè, & abſque ſingulari fere Dei omnipotentis auxilio in Eccleſiaſtica Diſciplina perſeuerat; neceſſarium igitur cum primis eſt, vt ſtatim ab his primis & rudibus annis in Catholicæ

tholicæ doctrinæ Rudimētis, atque in omnibus Chriſtiani hominis officijs, ſumma cura ac ſtudio diligentiſsime & inſtituatur, & in iiſdem exercitetur: idq́ue nullo non die ac tempore: ſed in primis diebus feſtis, ad hoc peculiariter inſtitutis, vt quæ ad Dei honorem ac gloriam, noſtramq́ue & proximorum ſalutem promouendam pertinēt, illis diebus præcipuè perquirantur, diſcantur, & exerceantur.

Atqui cum Religio Christiana in duabus fere rebus conſiſtat, videlicet in orthodoxa & catholica doctrina Fidei, & in Praxi ſiue ſanctis quibuſdam vitæ actionibus, vt ex Apoſtolo 2. Timoth. 3. edocemur: neceſſe eſt vt præter Catholici Catechiſmi enarrationem accedat quoque Præceptoris ad Chriſtianæ vitæ exercitationes quotidiana adhortatio. Hoc eſt, vt non doceat ſolum, quæ ſit veræ Fidei doctrina & retinenda, quæ falſa item & explodenda; ſed etiam cohortetur ad opera Deo grata, & ad eiuſmodi vitæ exercitia quæ vere Chriſtianum deceant.

Nos proinde in ſingulis Claſsibus pro cuiusq; ſcilicet ætate & intelligentia, ea primum proponemus, quæ ad Fidei doctrinam pertinent. Secundo verò loco, quæ ad ipſam Praxim & pietatis exercitium ſpectāt. In hac Claſſe igitur Sexta, prima Fidei & Religionis Chriſtianæ elementa, tradi commodiſsimè poterunt ex Catechiſmo paruo R. Patris D. Petri Caniſij Societatis Ieſu Theologi abſolutiſsimi: Nec tamen is totus etiamnum prælegendus: ſed præcipua il-

lius

lius capita ſermone vernaculo tantum explicata, hoc ordine decerpantur.

Symbolum Fidei: Oratio Dominica, Angelica Salutatio, Decem Mandata Dei, Quinque Præcepta Eccleſiæ, Septem Eccleſiæ Sacramenta.

Septem Peccata Capitalia, Nouem peccata aliena, Sex Peccata in Spiritum ſanctum. Quatuor Peccata clamantia in cælum.

Tria genera bonorum Operum, Septem opera Miſericordiæ, tum corporalia, tum ſpiritualia, Octo beatitudines, Tria Conſilia Euangelica, & Quatuor hominis nouiſſima.

Hæc eſt breuiſſima Catholicæ Religionis ſumma, quam puerum memoria tenere oportet, & eiuſdem noſſe interpretationem ſermone vernaculo; Nam Latina Catechiſmi expoſitio difficilior adhuc pro hac ætate, poſtponenda eſt potius in annum & Claſſem ſequentem.

Iam præter hanc Catechiſmi ſummam proponentur etiam paruulis breues aliquot & Chriſtianæ precandi formulæ, quas & patrio ſermone interpretabitur illis Inſtitutor, & operam dabit vt eaſdē ediſcant omnes, & quotidie ſuis quaſque horis diligenter vſurpent. Sed harum vſum oſtendemus paulo inferius in praxi huius Claßis quam nunc ſtatim ſubijciemus.

Superiori Claſſe diximus Chriſtianæ Pietatis exercitationem comprehēdi fere paucis illis verbis Prophetæ Regij. Declina à malo & fac bonum. *Quæ igitur*

igitur de ſuga malorum, quæ in prima ætate apparere conſueuerunt, ſuperiore tribu dicta ſunt, in hac etiam & in proximis oportet ſemper meminiſſe, vt primum Pietatis fundamentum iam vtcunque iactum, quotidiana ſeduli Præceptoris & induſtrij artificis cura & opera perficiatur, & in abſolutum tandem conſurgat ædificium.

Quaſcunq; igitur vitioſas propenſiones in paruulis deprehenderit, conabitur priuſquam vires ſumant oportunis inſtrumentis euellere; Sed hic opus eſt obſeruato. Vt paruulis & rudibus adhuc tirũculis pauca adhuc, ſed hæc efficacia Peccatorum remedia præſcribantur, vt & memoria facile continere queant, & iiſdem commoueantur ac terreantur.

Primum igitur ſit illud quod ſuperiori ordine admonuimus, Peccata ob id maximè eſſe omnibus fugienda, quod ipſum: Summum Bonum, *hoc eſt, Diuinam fruitionem à nobis tollant, ac cõtra:* Summum Malum, *id eſt perpetuo duraturas Inferni Poenas nobis accerſant. Illud enim plurimũ conferet ad excitandum in paruulis Timorem Dei, ſi frequenter illis proponas Regni cæleſtis gaudia, & Inferni tormenta: Vt ad illa pio quodam deſiderio à teneris ſubinde accendantur, & ab his prorſus incipiant abhorrere. Sic enim futurum eſt vt Peccata, quæ nobis accerſunt Inferni poenas, incipiant ſalutari quodam timore ſtudioſè cauere. Conſueuerunt enim huiuſmodi in puros adhuc puerorum animos facilius illabi,*

eoſque vehementius commouere, quam homines ætatis grandioris.

Deinde vt incipiant etiam paruuli conſiderare Peccati grauitatem, docendi ſunt eam exiſtimare ex hoc Dei facto omnibus in exemplum propoſito, quod nimirum ob vnum Peccatum, quod humano iudicio exiguum & veniale videri poterat, Luciferum & ipſi adhærentes Angelos è Cælo pulſos præcipitârit in Infernum. Præterea quod propter vnum Peccatũ, primos noſtros Parentes, è Paradiſo profugos, cumque ijs vniuerſum genus humanum certæ morti addixerit. Ergo qui nec Angelis ſuis, nec primis noſtris Parentibus peccantibus pepercerit, nec nobis peccantibus parciturus eſt. Hæc amplificet, hæc iterũ atque iterum inſtillet puerorum mentibus Inſtitutor, & ab ijſdem an omnes meminerint & intelligant ſæpe repetat, vt ex tam graui vnius Peccati vindicta, diſcant æſtimare commeritas aliorum omnium pœnas & ſupplicia. Atque hæc de duobus remedijs Peccatorum generalibus ſufficiant. Plura de ijs dicemus aliâs, vbi maturior poſt acceſſerit & horum capacior puerorum ætas.

Reliquum nunc, vt non ſolum doceantur Mala quæ diximus deuitare; ſed etiam paulatim inſtituantur in officijs exercendæ Chriſtianæ Pietatis. Omnis enim arbor *(inquit Dominus Matth. 3.) quæ non facit,* fructum bonũ excidetur, & in ignem mittetur. *Præſcribi igitur debent nunc paruulis Chriſtianæ Pietatis exercitationes quædam faciles &*

illorum

illorum ætati congruentes. Et cum varia ſint earum genera, aliaq; ad aliam ætatem ſpectent, maximè omnium excitandi ſunt pueri ad crebras Precationes, quarum vſus & facilis eſt, atque ita omnibus neceſſarius, vt arboribus aquarum humor, ſine quo illæ, vt fructus proferre non poſſunt, ita nec nos Pietatis fructus producere valemus, niſi (vt D. inquit Chryſoſt.) precibus irrigemur. Immo (vt idem aſſerit) nequaquam à vero aberrârit, ſi quis affirmet Deprecationem eſſe cauſſam omnis Virtutis.

Vt ad crebras igitur Precationes paruuli à primis his annis alacrius excitentur Præceptor illis ſæpe commendabit piarum Precum vtilitatem, commonſtrabit illarum vſum & efficaciam, docebit & certas cõditiones in ijſdẽ obſeruandas, quæ omnia cum alibi, tum in ipſa Præfatione Enchiridij Precationum ſatis, ni fallor, copioſè & dilucidè exponũtur. Iam præter omnia ſuperiora præſcribendum eſt illis quoque conueniens orandi tempus & locus precibus accommodatus. Et deniq; certũ aliquod Precationum penſum, quod quotidie à ſingulis abſoluatur.

Porro huiuſmodi Precatiunculæ quas quotidie vſurpent, quasque multo vſu reddant ſibi familiares & paulatim memoriter ediſcant, à Præceptore dictari debent, aut in Precationum libellis commonſtrari, licebitque eaſdem depromere ſi in Liturgico libello nõ inueniantur ex capite primo Enchiridij Precationum, vel Precum noſtrarum Liturgicarum, quas Io.

Bellero hoc anno L X X I I I. *excudendas miſimus, ſermone Latino, Gallico, & noſtrate Flandrico.*

Superiori Claſſe pro exercitio Matutino, Meridiano, & Veſpertino præſcripſimus pro ſingulis his tribus horis vnam Orationem Dominicam cum adiuncta Angelica Salutatione, illud vero ipſum acceſſione aliqua augeri nunc debet.

Mane igitur è lecto ſurgentes veſtituri ſe legent: In nomine Domini noſtri, &c. *Adijcientque inter veſtiendum*, Domine Deus omnipotens, &c. *Et* Sancta Maria & omnes Sancti, &c. *Induti vero & humi ante lectum proſtrati legent*, Tibi ô ſancte Pater, &c. *Deinde*, Pater noſter, Aue Maria, Credo in Deum. *Et decem Præcepta Domini.* Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. *Primam & Tertiã dictabit Præceptor ex Precationum Enchiridio, vel ex initio precum noſtrarum Liturgicarum. Secundã ex Breuiario Romano ad Primam.*

Ad pulſum campanæ Meridianum legetur flexis genibus Precatiuncula illa, Tenebræ factæ ſunt, &c. *ex Enchiridio vel alijs.*

Ituri veſperi cubitũ legent humi proſtrati. Omnipotens ſempiterne Deus, &c. *ex Enchiridio. Item*, Pater noſter, Aue Maria: Credo in Deũ, &c. *Introeuntes lectum*, In nomine Domini noſtri, &c. *Procumbentes in ceruical.* Obſecro te angelice ſpiritus, &c.

Prodeuntes in Templũ Sacri gratia, religioſè om-

nes & decenter incedant, afferentes ſecum libellum aliquem Precationum, in quo ſingulis orandi penſum à magiſtro deſignabitur; cuiuſmodi fuerit, Septem Pſalmi, qui vocantur Pœnitentiales cum adiuncta Litania. Itẽ horæ de S. Cruce, Vel Paſsione Domini, Horæ de Domina. Precationes Pænitentium, Gratiarum actiones, &c. Idem agant dum preces canuntur veſpertinæ.

Profanos vero libros nullus vmquam in Templum inſerat. Si qui pauperes fuerint, aut alij quibus deſit libellus Precationum, ij tamen curabunt huiuſmodi preces in libello chartaceo ſibi deſcribendas.

Si qui fuerint in hac Claſſe qui minus etiamnum expedite norint legere, ij vtantur adhuc precatorijs illis ſphærulis ſuperioris curiæ; Atque ita omnes in hoc officio contineantur, vt nullus abſque huiuſmodi precandi armis templum auſit ingredi. Sunt enim hæc Chriſtianæ militiæ tirocinia, Sunt pietatis progymnaſmata & ceu prima eius Rudimenta, quæ quemlibet ſcire & exercere oportet ad maiora prouehendum.

Nunc de Precibus hoc loco ſatis, Proximum vero poſt Preces locum obtinent in hac Claſſe Peccatorum coram Sacerdote Confeſsiones, quarum cum multiplex ſit vtilitas, vt infra copioſius oſtendemus, hoc certè momenti non minimum habere debet, quod in ijs paruuli inſtituantur de cognitione & diſcrimine Peccatorum, de maximis periculis quibus ſe Peccatores exponunt, adhæc de fuga peccatorum, & idoneis

ſe Cruce conſignent, Manus complicet, Faciem à vultu Confeſſarij ad latus auertant, dicant Benedicite, & poſt Sacerdotis benedictionem, perſequantur Confeſſionem illam generalem quam in Libello Liturgico ſuperiori Claſſe didicerunt, vſque ad, Ideo precor. Ac tum ſingula ſua Peccata commemorent apertè & intelligenter, nullum omnino cuiuſcunque generis reticendo, ac poſtremo adijciant in fine, Ideò precor.

Et quoniam hæc ſeruient potiſsimum plane rudibus adhuc, quique exiguam habent Peccatorum cognitionem, admoneat Didaſcalus, cuiuſmodi Peccata confiteri debeant, referatque & recenſeat ad quæ hæc ætas conſueuit eſſe propenſior, idque eo ſæpius faciat, & diligentius, quod paruulorum ætas pæne nihil hic nôrit, niſi quod à Præceptoribus vel parentibus fortaſsis hauſerit, vnde fit vt quidquid in ea inſcitiæ reperiatur in ſupinam ac ſummè damnandam Præceptorum negligentiam conferendum videatur, qui ita perpetuo crepant in Scholis Colloquia, Dialogos, aut Æſopicas fabulas, Terentium, Virgilium, & Ciceronem, vt alia quæ omnium primum docere conueniebat, habeant pro nugis, aut pæne pro deliramentis, indigni prorſus Ludimagiſtri nomine, nedum functione tam ſancta, tam præclara, & in omni Rep. Chriſtiana tam neceſſaria, vt in qua ſitum ſit Remp. ipſam vel conſeruare vel perdere, & vel ſalutare aliquod producere numen, vel peſtem Reip. vniue ſæ pernicioſam.

Felices vero admodum ſunt Diſcipuli, quibus in Præceptores obtigêre Baptiſtæ Chriſti, hoc eſt, qui ſuos, quos inſtituendos ſuſceperunt, more illius prodromi Saluatoris mittunt ad Chriſtum eiq́ue ſuos velut in manum tradunt. Quibus, inquam, cura eſt, non tam vt ipſos celebres & glorioſos reddant in externis diſciplinis, quam vt doceant eos mundi faſtum ac gloriam contemnere, voluptates carnis aſpernari, Diuitias & opes non magni facere. Nec tam nituntur vt eorum linguas perpoliant, quam vt mentem exornent Timore Domini, Pietate, ac virtutibus cæteris.

CLAS-

CLASSIS V.

Summa Doctrinæ, & Praxios, Claſsis V.

- *Chriſtianæ Pietatis.*
  - *Doctrina.*
    - *Catechiſmus paruus D. Petri Caniſij.*
    - *Doctrina præcipuarum partium Catechiſmi.*
    - *Sermo Chriſti in monte Matth. 5. 6. 7.*
    - *Doctrina eorum quæ in Praxi ſequenti proponuntur exercendæ.*
  - *Praxis*
    - *Conſiderare naturæ propenſionem, & eam idoneis remedijs emendare.*
    - *Aeſtimare ex eo Peccati grauitatem, quod Sanguine & Morte Chriſti redimi debuerit.*
    - *Conſiderare ineffabilem Dei bonitatem & in nos beneficentiam ſeipſum ſcilicet reprehendendo.*
    - *Vſus armorum Chriſtiani militis.*
      - *Repellere ſtatim malas cogitationes.*
        - *Cogitãdo.*
          - *Deũ et Angelos ſibi ſemper adeſſe.*
          - *Incertã Mortis diẽ.*
          - *Iudicij Dei ſeueritatem.*
          - *Poenarum Inferni acerbitatem.*
      - *Frequens Peccatorum Confeſſio.*
      - *Frequens S. Scripturæ Lectio & Meditatio.*
      - *Frequens ac diligẽs auditio Verbi Dei.*
      - *Frequens Oratio potiſſimùm mentalis.*
    - *Obſeruare præſcriptam quotidie orandi meditandique legem, Mane, Interdiu & Veſperi.*
    - *Crebrò per diem renouare non offendendi Deum voluntatem.*
    - *Examinare quotidie Conſcientiam veſperi ante Lectum.*
    - *Obſeruare Templi ac Cubiculorum leges à Preceptore conſtitutas.*
    - *Obtemperare ſedulò iuſſis ac conſilijs Parentũ, & qui Parentum nomine intelliguntur.*

Poſteaquam Tirunculus Chriſtianæ Doctrinæ & Religionis ſummam ſuperiori Claſſe iam ſatis perce-

perit, reliquum eſt vt à Præceptore diligenter in eadem exerceatur, idq́ue tam diu donec illius vſum vtcunque iam intellexerit, quem etiam puerilis hæc ætas hac ratione facilimè aſſequetur, ſi breuibus & apertis verbis, ijſdemq́ue vernaculis & ſæpe repetitis ipſi à Didaſcalo inſculpatur: Sed hæc repetam & dicam explanatius, & inexercitato Ludimagiſtro (cui iſta ſolum conſcribuntur) huius rei ſpecimen aliquod exhibebo.

Primum igitur locum obtinet fere in libellis noſtris Catechiſticis Oratio Dominica, quam vbi Puer didicerit, admonendus eſt idẽ, & diligenter informandus quanta ſit virtus & efficacia Orationis, & quam ſit ea homini Chriſtiano in quotidiana vita neceſſaria, adeo vt vel Chriſtus Dominus tam ſedulò ad eam nos cohortetur, partim verbo, dum iubet ſemper orare Lucæ 18. partim exemplo, dum idẽ ſcribit cap. 6. ipſum etiam in oratione pernoctaſſe, quæ Chriſti doctrina vehementer nos incitauit, vt tot repetitis verbis & in ſingulis fere Claßibus puerilem ætatem ad pias Precationes excitaremus. Cæterum qui Orationis vtilitatem, neceßitatem, & obſeruandas in ea conditiones, vt vtilis ſit, ac ſalutaris, plenius pernoſſe velit, legat Præfationem Enchiridio Precationum præfixam, & duos libellos Io. Chryſoſt. de orando Deum, vel denique Lud. Bloſij præfationem in libello quem Cimeliarchion piarum precationum inſcripſit; Admonendi ſunt etiam pueri, vt aſſueſcant orare

animo præſenti, & ad verba, quæ ore pronunciantur, bene attento. Tum etiam inſtruantur oportet, quibus temporibus ac locis ſit oratio potiſſimùm vſurpanda, qua de re nos paulo inferius agemus dum huius Claſſis praxim commonſtrabimus.

De Symbolo Fidei deinde admonebit, quod Fides Symbolo comprehenſa totius Religionis noſtræ veluti baſis ac fundamentum ſit, abſque qua ſit impoſſibile placere Deo. Oſtendet præterea quid credere debeamus de Deo Patre, quid de Filio, & Spirituſancto, quibus reſpondent tres Symboli partes. Iam illud etiam admonendũ quod Chriſtiani debeant hoc Symbolum ſæpius repetere, mane præſertim & veſperi, partim vt ſit velut impenetrábile ſcutum, quo Dæmonis aſſultus ſuſtinere ac retundere poſſint, partim vero quod in ea referantur maxima beneficia, quæ Deus humano generi copioſiſſimè contulit. Plura de his Conciones Catechiſticæ Michaëlis Mersburgenſis Epiſcopi.

In Decem Præceptis demonſtrabit ſolam Fidem ſine bonis operibus homini ad Salutem nequaquam ſufficere, atque ob eam cauſſam à Deo ipſi data eſſe hæc Decem Præcepta, quibus admoneatur, quomodo iuxta Fidem operari eum oporteat, ſiue quæ bona facere, & quæ mala vitare debeat, vt ad vitam cæleſtem & æternam Beatitudinem pertingere poſſit. Vt illa Chriſti admonitio merito præ oculis ſemper haberi debeat. Si vis ad Vitam ingredi, ſerua Mandata.

Vel illud Eccleſiaſtici. Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita ſemper. *Huiuſmodi crebris admonitionibus veluti calcaribus quibuſdam ac ſtimulis ad opera Caritatis excitentur. Fructum vero Præceptorum Eccleſiæ Catechiſmus ipſe ſatis luculenter explicat.*

De VII. Eccleſiæ Sacramentis illud admonendum, eſſe ea veluti ſaluberrima quædam antidota, præſentiaque remedia à Chriſto cæleſti medico in hoc nobis præſcripta & collata, vt ijs animæ vulnera, id eſt, Peccata à nobis commiſſa denuo curentur, & ea ob id haberi debere in ſummo honore & reuerentia, pièque de illis cum Eccleſia Catholica ſemper & loquendum & ſentiendum.

Porro illa poſterior Catechiſmi pars, docet quæ ſint illa malorum ſiue Peccatorum genera, quæ nos vitare ac fugere oporteat, & quæ item genera bonorum ſiue Virtutum, quas facere iubemur, vt ad Vitam illam beatam & immortalem ingredi poßimus.

His paucis verbis comprehendimus ac perſtrinximus fere vſum ſummæ illius doctrinæ, quam ſuperiori claſſe didicerunt, quæ tironibus paucis & huiuſmodi quaſi nudis verbis, ſine multis Scriptorum teſtimonijs, quæ per ætatem intelligere, aut certè meminiſſe non facile queant, diligenter, vt dixi, eſt inculcanda, & ab ijſdem ſæpius exigenda & repetenda, libentius enim ac facilius hac Claſſe Catechiſmum didicerint, cuius iam vſum vtcunque perſpectum habent. Immo

etiam vſus bene cognitus reddit omnia accommodatiora ad praxim & exercitium.

His igitur primùm bene perceptis, reliquum eſt vt diebus feſtis huic Quintæ Claßi & proximè ſequenti prælegatur totus ille Catechiſmus paruus D. Petri Caniſij, qui & breuitate verborum, ſolidaque & docta interpretatione commendatißimus haberi debet. Hic nũc igitur totus ſermone partim Latino, partim vernaculo apertè & ad puerorum intelligentiam accommodatè debet explicari, & quo pueri ſenſa facilius aſſequantur, & altius ea infigant menti, curet Inſtitutor audita ſæpius repeti & examinari, diligenterque inquirat an omnes intelligãt, quin etiam præcipiat lectionem iam recitatam conuerti in ſermonem patrium, & ſibi deſcriptam exhiberi.

Breuiter cum ſit Pietas præſtantior Eloquentia, & Eruditione Virtus multo potior, ſingula in hoc paruo Catechiſmo, non minus accurata diligentia expendi debent à Pueris, quam quæuis ſcripta Elocutionis, præſertim cum ex illis multo vberiorem fructum quam ex iſtis, paulo poſt percepturi ſint. Iam ſi tempus & otiũ ſuppetat, inueſtiganda ſunt illa quoque, quæ ad Grammatices negotium, hoc eſt, ad Etymologiæ & Syntaxeos rationem pertinent. Sed ab ijs potißimùm qui huius ſint ordinis. Nam in Claſſe ſequenti recitabunt etiam lectionem memoriter.

Præter vero Catechiſmum prelegendus etiã pueris ſermo ille Chriſti in monte habitus Matth. 5. 6.

& 7.capit. In quo ſunt multa & præclara Iuſtitiæ Chriſtianæ dogmata, quæ plurimum profuerit à teneris annis imbibiſſe.

Quinto enim Capite, dum Chriſtus octo proponit Beatitudines & vitæ Chriſtianæ perfectiones, quaſi nouam legem, nouaſque viuendi inſinuat Præcepta, & virtutes plantat prorſus Euangelicas.

Sexto vero Capite plantatis iam his virtutibus, tollit affectum qui ijs maximè ſolet inſidiari, vanam ſcilicet gloriam, peſtem omnis boni pernicioſiſſimam: vt quæ Pietatis opera, quantumuis ardua, & præcipuè Eleëmoſynam Ieiunium & Orationem ad inanem hominum oſtentationem referre conſueuit, vt neque iam laudem, neque mercedem vllam mereantur. Docet igitur Chriſtus quomodo ſit danda Eleëmoſyna, Ieiunandumque, & orandum, & ſeruiendum Deo, &c.

Septimo deinde Capite, tollit iniqua & temeraria hominum iudicia, Peccata videlicet pleriſque plus ſatis familiaria. Sed Chriſtus hic docet neminem temere iudicandum, nec margaritas proijciendas ante Porcos, &c. Horum vero Capitum explicationem ex Euthymio, Theophylacto, Iſidoro Clario, vel ex alijs licebit petere.

Porro quod attinet ad dies feſtos; quibus ſacra huiuſmodi prælegi iuſſimus, admoneat Præceptor eos in hoc eſſe inſtitutos, non vt quouis modo corpus relaxemus: ſed vt tum potiſſimùm Religioni vacemus

& rebus Diuinis pijsque meditationibus & lectionibus: non luſibus prohibitis, aut illicitis ſpectaculis, nec id genus alijs, quæ à vulgo prophano paſſim exercentur. Sed copioſius de his in Præcepto Dei tertio. Nūc de huius ordinis exercitijs.

Principio quæ dicta ſunt in duabus Curijs ſuperioribus de conſideranda naturæ propenſione, eaque idoneis remedijs corrigenda. Tum de Peccatorum fuga, deque præmijs Virtutum & Vitiorum, de frequenti Peccatorum Confeſſione, & poſtremo de quotidianis Precibus, illa inquam in hac & in alijs tribubus ſequentibus retineri debent & ſubinde repeti, pluribusque rationibus & argumentis commendari, vt hoc pacto quæ primis his annis exerceri cœpta ſunt in vſu retineantur, donec in eam conſuetudinem peruentum ſit, vt hæc pueri libenter & ſua ſponte exequantur.

Hac igitur de cauſſa nos eadem ſubinde in diuerſis Claſſibus repetimus, quod Didaſcalis hoc ipſum quoque faciundū exiſtimaremus, qui hoc quidquid eſt laboris, detractare non debent, nec eum vel grauem vel difficilem reputare; Sed potius illud cogitare, ſe multos docere obliuioſos, alios negligentes, quoſdam parum adhuc capaces, aut ſatis dociles, quique vt gutturis arctioris vaſcula nihil admittāt, niſi quod ſenſim & guttatim inſtillaueris.

Ergo illa quæ ſupra admonuimus de Peccatorum grauitate ſæpe exaggerentur, hac etiam, præter ſuperiora

riora omnia, adducta ratione, quod Medicina ad Peccatum ſanandum, ex Sanguine Chriſti filij Dei, ex eius Paſſione & acerbiſſima morte confici debuerit.

Tum etiam immenſa Dei bonitas, Innumerabilia eius beneficia, & noſtra Ingratitudo frequenter pueris proponenda ſunt, vt nimirum, qui primum ex terrore Gehennæ Peccata vitare didicerunt, nunc potius cõſiderata ineffabili ipſius erga nos bonitate & amore, ad mutuum tanti benefactoris amorem prouocentur, & à malis operibus abſtineant.

Quoniam vero Salutis noſtræ inimici nullo non tempore in nos deſeuiunt, atque in animarum noſtrarum perniciem nocte dieque vehementer incumbunt, operæprecium fuerit & res ipſa monet, docere Tironem quibus armis potiſſimùm, cum inciderit vſus, ſit cum illis confligendum: iiſque omnibus Tiro, quæ ſcilicet ipſius ætati ac viribus congruant, decenter inſtruendus eſt. Cũ vero multa ſint huiuſmodi, & aliam alia deceant ætatem, nunc ſolum pauca & conuenientia maximè huc proferemus, ſeipſum ſcilicet reprehendendo.

Arma Chriſtiani militis.
- *Repellere ſtatim malas cogitationes. Cogitando.*
  - *Deum & Angelos ſibi ſemper adeſſe.*
  - *Incertam Mortis diem.*
  - *Iudicij Dei ſeueritatem.*
  - *Poenarum Inferni acerbitatem.*
- *Frequens Peccatorum Confeſſio.*
- *Lectio & Meditatio Scripturæ ſacræ.*
- *Frequens ac diligens auditio Verbi Dei.*
- *Frequens Oratio, potiſſimùm mentalis.*

Hæc ſunt Chriſtiani Tironis arma, quæ ſemper

ad

ad manum habere, & bene vſum eorũ pernoſſe oportet, Confeßionis in primis & Orationis, quorũ rectus vſus maiorem requirit conſiderationem & ſui non modicam exercitationem, de quibus proinde hic & in ſequentibus Claßibus, quæ quemlibet ſcire oporteat, admonebimus.

Vt igitur in his paruuli rectius à teneris inſtituantur, indiesque maiora capiant Pietatis incrementa, conſultißimum fuerit, vt ab his ſtatim annis aſſueſcant Peccata ſua coram Catholico & Erudito Sacerdote ſemel quolibet menſe confiteri, & in primis in celebrioribus diebus feſtis Chriſti Seruatoris. Ne ſi diutius paulo Peccatorum Confeßio differatur, multorum obliuio tum mentem ſubeat. Et ipſe Diabolus, quanto diutius aliquem poſſedit, tanto eum difficilius dimittet. His adde admonitionem Chriſti, Luc. 12. iubẽtis nos ſemper eſſe paratos. Vos, *inquit,* eſtote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

Cauendum eſt igitur, ne tarda hominis conuerſione, pœnitentiæ tempus amittatur, & qui adhuc paruo Peccatorum onere preſſus non ſurgit, maiore iam obrutus ſurgere prorſus non queat.

Ceterum vt à primis annis Confeßiones, vtilius inſtituantur, diligentioris Didaſcali partes erunt docere, quæ ſit vera & ſalutaris Pœnitentia, qua Peccatorum remißionem conſequamur. Hanc autẽ frugiferã Pœnitentiã Chryſoſt. eſſe ait, vt quibus modis

Deum offendimus, Corde, videlicet, Ore, & Opere, iiſdem ipſi denuo reconciliemur, Corde quidem per Contritionem, Ore per Confeßionem, ac Ore per Satisfactionem. Singula hæc quid ſibi velint, & quo pacto vtiliter inſtitui debeant, oſtendent frequenter Præceptores.

In primis vero, quàm ſit pænitenti neceſſaria vera animi contritio, & quid ea ſit, & quid requirat.

Tum quid Confeßio, quantaque eam præcedere debeat præparatio, vt quam eſſe oporteat Præmeditatam, Veram & Integram.

Adhæc quæ Peccatorum ſint Circunſtantiæ neceſſariò nonnunquam in Confeßione exprimẽdæ. Numerus ante omnia in letalibus peccatis omitti non poteſt. Sic nec Locus, nec Tẽpus, præſertim ſi quam afferant occaſionem Scandali: Vnde quod ad locum attinet, peccata quæ publicitus in hominum conſpectu committuntur adiunctam habent Circunſtantiam Scandali in Confeßione neceſſario exprimendam. Præcipuæ vero huiuſmodi Circunſtantiæ hoc vulgato verſiculo continentur.

Quis, Quid, Vbi, Per quos, Quoties, Cur,
Quomodo, Quando.

De quibus Methodus Confeßionis & nonnulli Catechiſmi.

Vtile vero cumprimis fuerit noſſe in Confeßione Peccatorum diſcrimina, vt quæ ſint aliis vel grauiora vel leuiora, quæque Venialia, vt vocantur, & quæ

ſint Mortalia, quod cum ex Catechiſmo minus clarè quam pro captu puerorum queat intelligi, viſum eſt illud hoc loco paucis verbis indicare, quod in proximis deinde Claſſibus debet nonnunquam repeti. De horum igitur diſcrimine, hæ duæ in primis ſunt obſeruandæ Regulæ.

I. Mortalia Peccata *habentur illa, quæ ita cõtraria ſunt Diuinæ vel humanæ propter Deũ amicitiæ, vt manifeſta ratio dicat veram amicitiam ea non ſuſtinere; ſed ea eſſe digna, propter quæ amicitia diſſoluatur. Cuiuſmodi ſunt Furta & Homicidia; Quod verò leuius eſt, quam vt amicitiam dirimere iudicetur, licet ab ea parum auertat, non tamen mortale iudicandum eſt, vt damnum alteri illatum in re parua: Aut leuior proximi læſio.*

II. Mortale iudicari non debet, *licet contrarium Amicitiæ, niſi committatur perfecta deliberatione, plenoque conſenſu voluntatis, ſic vt vbi perfecta Voluntas non ſit, non ſit etiam perfectum Peccatum.*

Vnde fit vt nulla, quantumuis mala, blaſphema, aut obſcœna cogitatio, nullusq; animi affectus, ſubito exortus, mortalis dici poſſit, cui mentis ratio repugnârit. At ſi huiuſmodi cogitatio vel motus animi diutius fortaſſe perſeueret, contradicente tamen ratione, tale vel nullum, vel leue Peccatum iudicandum eſt; Immo fieri poteſt, vt ex rationis repugnãtia & odio, etiam meritũ dici poſſit, vt quoties ſcilicet noxia co-

gitatio vincatur, toties homo coronari mereatur.

Si vero ratio nonnihil dormitarit, nec plenè conſentiat, nec etiam prorſus repugnet, difficile iam fuerit iudicatu quale huiuſmodi Peccatum dici debeat. Sin autem plenus conſenſus acceſſerit, grauius omnino iudicandum, nullo etiam actu conſequente. Nam certa hæc eſt Regula: Omnis perfecta voluntas, *ſiue bona, ſiue mala, apud Deum pro facto deputatur. Quod igitur ad rationis conſenſum attinet, hæc parua tabella luculenter ſatis edocebit.*

Rationis	*Plenus*	*Ad malum conſenſus Peccatum eſt.*
		Diſſenſus, Meritum eſt.
	Non plenus conſenſus, nec diſſenſus, incertum quale peccatum.	

Rationis porro plenus Conſenſus, aut Diſſenſus prærequirit plenam quoq; & integrã aduertentiam, vt ſcilicet perfecte attendas, & quid cogites, & quid ſit contra Diuina Præcepta. Si enim vel non aduertas te cogitare, vel non ſatis aduertas illud Peccatum eſſe vel non eſſe, quidquid inter hanc plenam conſiderationem fit, magis pertinet ad ſurreptionem quam ad voluntatem. Conſulit enim Deus infirmitati & tarditati noſtræ, nobiſque concedit quaſi inducias quaſdam, vt Peccatum plenè aduertamus, & rei cogitatæ periculum, vt tam diu nobis non imputetur, quam diu ſumus in obliuione noſtri, & eorum quæ cogitamus.

Hæc fere R. Pater D. Petrus à Soto S. Theol. Doctor in additione methodi Confeſsionis, & in libro

de Inſtitutione Sacerdotum, vbi horum omnium plenior cognitio requiratur. Sed cum hæc pluſculum requirant eruditionis, aut certè iudicij quæ hac Claſſe non ſatis percipiuntur, proximis debent perfici. Nam hoc magnopere ad rem pertinere exiſtimem, vt quæcunque doceant Catholicorum Catechiſmi de ratione Peccatorum, & de bonis operibus ſeu Virtutibus, accuratiſſima diligentia pueris inculcentur.

Reliqua nunc eſt tertia Pænitentiæ pars, videlicet Satisfactio, de qua hoc loco admonendũ, quæ ſint præcipua Satisfactionis opera, & cur ea poſt Cõfeſſionem neceſſaria. Quæ partim in Methodo Cõfeſſionis, partim in Summa Doctrinæ Chriſtianæ ſatis dilucide explicantur.

Iam illud ſubinde admonendum, in quibus Peccatis neceſſaria ſit ablati Reſtitutio, vt in Furti ſpeciebus, in quibus illud B. Auguſtini ſæpenumero repetendum eſt: Non remittitur Peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

Doceri adhæc debent rem forte caſu inuentam nequaquam poſſe conſeruari, quod, vt idem nos docet Auguſtinus, Si quid inueniſti, quod non reſtituiſti, rapuiſti. *Debet igitur res inuenta Domino ſuo, ſi modo queat is inueniri, reſtitui, vel pauperibus erogari. Huc etiam pertinet Reſtitutio famæ per obtrectationem ablatæ vel læſæ.*

Admoneri igitur debent Diſcipuli, ne cui vnquã obtrectent, ſiue verum dicendo, ſiue falſum. Nam ſi ad

infamiam vergat obtrectatio, obligatur ad reſtitutionem famæ. Poſtremo & illud admonendum, nō ſolum peccare detrahentes proximo; ſed eos quoque, qui detractoribus aures præbent & libēter eos audiūt. Hæc de Reſtitutione doceri debent, ne quis exiſtimet, ad conſequendum cuiuſuis Peccati remiſsionem ſufficere Contritionem & Confeſsionem, abſque vllo Satisfactionis opere.

Sed de Peccatis & Peccatorum Confeſsione iſta hoc loco ſufficiant, nam reliqua proximis Claſsibus proſequemur. Nunc, vt ſumus polliciti, adijciemus nonnulla de Oratione, quibus ea temporibus ac locis ſit à pueris potiſsimùm vſurpanda.

Hoc primùm momenti non parū ad Pietatis profectum promouēndum, allaturum exiſtimamus, ſi pueris hac Claſſe præſcribatur certum aliquod exercitationis veluti quoddam exemplar, quod Mane, Meridie, & Veſperi, in meditando orandoque Deū ſequantur, quod quale huic ætati vtiliſsimum fore videatur, non grauabor, quid ſentiam, hoc loco declarare.

Sit igitur tale orandi exercitium Matutinum. Veſtiti non ſtatim cōuertent ſe ad fabulas, vel inanes cogitationes. Immo ne ad ſtudia quidem, niſi prius ingenua ante lectū proſtrati egerint Deo gratias, quod noctem præteritam voluerit ipſis eſſe proſperam, ac eundem deinceps deprecentur, vt eo ſe die, à Peccato, & ab omni tum corporis, tum animæ incommodo dignetur propitius cuſtodire, vſuri tum ijs Præcationi-

bus quas ſuperiori ordine indicauimus, quibus addant Precatiunculam quotidianam pro ſalutari vitæ ſtatu, O Domine Deus æterno, &c. *Item qua ſe Deo commendēt,* Exaudi me, &c. *ex cap. I. Enchiridij Precationum, vel principio precū Liturgicarū.*

His iam abſolutis certò proponant ſe nihil illo die velle committere quo Deus aut Proximus offendatur, Poſtremo totius Diei horas obiter percurrent, & quid toto die facturi ſint generatim ſaltē ſupputabūt.

Acceſſuri iam ad ſtudia præmittant ſemper aliquam Precatiunculam qua ardenti feruore à Deo petant cor docile & intelligendi facultatem, dicantq́; vel cum D. Thoma Aquinate:

O Creator ineffabilis, qui verus fons luminis & ſapientiæ diceris, quiq́; linguas infantiū facis eſſe diſertas, linguam meam erudias, atque in labijs meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, addiſcendi facilitatem & copioſam loquēdi gratiam. *Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Vel orent cum Eccleſia.* Veni S. Spiritus, &c. *cum adiuncta Collecta,* Deus qui corda fidelium, &c. *Vel denique cum Middendorpio.*

Audi Preces meas æterna Patris Sapientia Domine Ieſu. Da mihi auxiliū Gratiæ tuæ, vt bonas litteras citius perdiſcam; Et ad exemplum pueritiæ tuæ Scholā & Doctores amem, quotidie proficiam ætate, ſapientia, & gratia,

Qui viuis & regnas cum Deo Patre, &c.

Aggreſſuri vero alterius aliquid operis, aſſueſcãt etiam illi præmittere breuem precatiunculam, vt Deus ipſorum operi dexter aſpiret, & quod acturi ſunt, ad ipſius gloriam & hominum ſalutem feliciter conuertat, Huiuſmodi fuerit verſiculus ille Dauidicus. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, &c. *Vel ille certe,* Actiones noſtras, &c. *ex cap. I. Enchiridij.*

Interdiu *quoque dabunt operam, vt eorum frequenter meminerint, quæ mane propoſuerunt facere, & rectè viuendi propoſitum ſubinde per diem renòuent. Nam duo ſunt, quæ ad vitæ totius emendationem adiumenti plurimum afferunt, quæq́ue idcirco ſæpenumero pueris proponi velim.*

Primum *eſt, firma & crebrò renouata voluntas Deum non offendendi, atque verè ipſi ſeruiendi.*

Alterum *eſt, expedita quædam promptitudo occurrendi ſtatim prauis cogitationibus, vnde reliqua mala oriuntur, de quo ſupra in armis Tironis Chriſtiani.*

Veſperi *vero ituri cubitum, priuſquam ſe ſomno dedant, perpendent pauliſper in ſilentio & quiete, quo pacto diem tranſegerint, & de admiſsis forte hoc die Peccatis rationem exigent, per horas ſingulas ex quo ſurrexerint, & loca omnia in quibus fuerint, & quibuſcum perſonis diligenter inueſtigando.*

Primùm circa Cogitationes cum delectatione & voluntate deliberata habitas.

Secundo circa Locutionem, quid vel ipſi dixerint, vel ab alijs audierint.

Tertio circa Operationem, vel Actionem, vt quæ mala cõmiſerint vel bona omiſerint aut neglexerint.

Adhæc an alijs peccandi materiam vel occaſionem dederint, vtpote Conſilio, Iuſſione, Irritatione, Laudatione, Participatione, Defenſione, &c. quæ vocantur Peccata aliena, de quibus infra Claſſe 4. & 3.

Poſt Conſcientiam ita diſcuſſam, de Peccatis quæ in animo deprehendent verè doleant, & cum propoſito ea nunquam in poſterum perpetrandi ſtatuant ea Sacerdoti oportuno tempore confiteri.

His ita peractis iam Deo gratias agent, quod eo ſe die cuſtodire dignatus ſit, orantes eundem, vt aduerſus ipſius legem commiſſa Peccata, dignetur miſericorditer condonare. Ac ſeſe ſic Deo cuſtodiendos committãt, adhibitis Precationibus ſuperioris curiæ.

Plurimum vero intereſſe duxerim ad vitam pie & Chriſtianè inſtituendam hoc exercitium accurata diligentia obſeruare, vt pueri prorſus nullum ſinant præterire diem, quo de his aliquid prætermiſerint. Nam ex hoc bene obſeruato exercitio ampliſſimos Pietatis fructus paulo poſt conſequentur, illud igitur valde vrgeri ſuaſerim.

Aduigilent adhæc omni cura & ſtudio Præceptores, inſtentque tum oportunè, tum importunè, vt

Diſcipuli non tantum ſciant, quid ſibi in Templo, in Cubiculo, in Schola, Quid in menſa, in Domo, & in platea ſit faciundum, ſed etiam vt quæ is requirit locus faciant, cogitentque ſe fruſtra Diſcipulos de his omnibus admonuiſſe, ſi eadem ab illis non obſeruětur.

In templo *abſtinendum à fabulis, riſu, luſu, diſcurſu, & ab omni morum inſolentia. Etiam à picturis, & quibuſlibet ſcriptionibus. Quæ lex vt ab omnibus ſtudioſe ſeruetur, Cuſtodes qui dicuntur, quique obſeruandi ceteros officium habent diligenter dabunt operam. Permultum enim intereſſe credant, à teneris aſſueuiſſe vacare in Templo ſanctis Precibus, & obſeruare probatas Eccleſiæ Catholicæ ceremonias ac ritus.*

Quilibet in Templum afferat Precationum libellum, veluti Hortulum animæ, Horas de Domina, vel Precationũ Enchiridion, ex quo Dominicis diebus & feſtis, legantur Precationes Liturgicæ; Alijs etiam aliæ quas Inſtitutor commonſtrabit, cui nihil parum nihil puerile aut ridiculum videri debet, quod vel minimum conferat adiumẽti ad Pietatis progreſſum & animæ ſalutem promouendam. Nec magnum Pietatis incrementum ſperare quis debet, qui huiuſmodi Rudimenta primaque Pietatis velut tirocinia pro nihilo duxerit.

Vt porro omnes maiori reuerentia, & religionis cultu aſſueſcant intereſſe ſacroſanctis Miſſarum Sacrificijs, admoneri ſubinde debent, & ipſis longe vti-

liſsimum eſſe, & Deo gratiſsimũ, audire deuote Miſſæ ſacrificium, vt in quo præter ſanctiſsimas Sacerdotis Orationes, Chriſtus ipſemet conſecratur, ſumitur, & Deo Patri immolatur, in commemorationem vltimæ coenæ & immolationis ipſius peractæ in Cruce.

In Cubiculis *laudatur ſilentium & verecũdia, adoleſcentiæ præclara ornamenta, Riſus & garrulitas ſunt indecora, & malorum ſæpe vel occaſiones vel incitamenta: Inſolentia verò & inuerecundia etiam flagitioſa & virgis acerrimè caſtiganda. Meminiſſe enim debent pueri in omnibus ſuis actionibus ſe ante oculos Dei verſari, cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt, quemadmodum ſcriptum eſt:* In omni loco oculi Domini contẽplantur bonos & malos.

Ludimagiſtri ſi quos habeant Diſcipulos in conuictu ſuo, inſpiciant quotidie eorum cubicula, num mundicies adſit, ſordes abſint. Num mane, & veſperi, vt edocti ſunt, orent, Num adſit ſemper modeſtia & ſilentium, abſit loquacitas, riſus, luſus, & inſolentia. Num vt ſinguli diſtributi ſunt, in ſuis cubiculis, menſis, & lectis ita permaneant, ex quorum neglectu maximæ morum corruptelæ, & cõtagioſæ Scholarum peſtes ſolent interdum exoriri & conſequi; quas auerti neceſſe eſt quotidiana magiſtrorum inſpectione & vigilantia, & bonis cubiculorum legibus.

Illud poſtremò in paruulis Pietatis ſtudium permultum etiam prouehit, ſi nimirum edictis, monitis, ac conſilijs Parentum ſuorum, & eorum qui Paren-

tum

tum nomine intelliguntur, Magiſtrorũ, Sacerdotum, Seniorum, & breuiter ipſius Magiſtratus cum Politici, tum Eccleſiaſtici libenter obſequantur, his aſſurgant, his caput aperiant & de via ac loco decedant, his benignè loquantur & reſpondeant, his alacriter inſeruiant, horum acquieſcant iudicio, his & opem ſeu auxilium, ſi ſit opus præſtent, etiam ſi mali forte ſint & diſcoli. Quod ſi fecerint accepturi ſunt à Deo præmium vt bene ſit illis, & ſint longæui ſuper terram. His iam addere licebit ex hiſtorijs horrenda illorum ſupplicia, qui parentibus ſuis non obtemperarunt.

CLAS-

CLASSIS IIII.

Summa Doctrinæ, & Praxios, Claſsis IIII.

- **Chriſtianæ Pietatis.**
  - **Doctrina**
    - Catechiſmus paruus D.Petri Caniſii.
    - Doctrina præcipuarum partium Catechiſmi.
    - Sermo Chriſti in monte Matth.5.6.7.
    - Repetitio eorum quæ ſuperiori claſſe dicta ſunt de Peccatorum fuga, & crebra eorum confeſſione, & quotidiana orandi conſuetudine.
    - Diligens explicatio Peccatorum, quæ vulgo vocantur aliena.
    - **Generalia Peccatorũ remedia**
      - **Cogitare frequẽter**
        - Præſentiam Diuinæ Maieſtatis & Angelorum.
        - Vitæ breuitatem, & incertam Mortis horam.
        - Futurum Iudicium, & Diuinam in eo Iuſtitiam.
        - Pœnam Damnatorũ, & Beatorum felicitatem.
      - Fugere omnem improborum ſocietatem.
      - Adiungere ſe bonis & Deum timentibus.
      - Fugere omnes Peccatorum occaſiones.
      - **Frequens**
        - & diligens auditio Verbi Dei.
        - S.Scripturę lectio & meditatio.
        - Peccatorum Confeſſio.
        - Sumptio S.Euchariſtiæ.
        - Vitæ & Paſſionis Chriſti cõmemoratio.
        - Oratio cum fiducia.
  - **Praxis**
    - **Exercere quæ didicerunt**
      - In Catechiſmo paruo Caniſii.
      - De præcipuis Catechiſmi partibus.
      - In Sermone Chriſti in monte.
      - De Peccatorum fuga.
      - De crebra Peccatorum confeſſione.
      - De quotidiana orandi conſuetudine.
    - Proferre in vſum generalia illa Peccatorum remedia in hoc Schemate poſita.
    - **Legere in menſa**
      - Euangelium Diei Dominicæ.
      - Prouerbia Salomonis.
      - Eiuſdem librum Sapientiæ.
      - Eccleſiaſticum & Librum Iob.
      - Libellum Thomæ à Kempis de imitatione Chriſti.

Huius Quartæ Claſsis auditoribus prælegenda ſunt eadẽ quæ diſcipulis ordinis ſuperioris, Catechiſ-

mus nimirum & Sermo in monte, vt quæ per ætatem non ſatis perfecte aſſequi potuerunt nunc accuratius perdiſcant & perfectius intelligant. Danda eſt etiam opera vt omnes bene intelligant vſum illum præcipuarum partium Catechiſmi quem ſuperiori claſſe oſtendimus.

Et cum libentius alacriusque faciamus, cuius ingentem multiplicemque fructum probè nouimus, ſæpenumero pueris eſt oſtendendū quis ac quantus ſit fructus bonorum operum, quod tam aperte docet poſterior pars Catechiſmi, vt neceſſe non ſit quidquam illis adijcere. Idem perſpicuè docet & clare quibus gradibus ad ipſum Peccatum perueniatur, & qui ſupremi ſint Peccantium gradus: quod his claßibus poſterioribus crebris repetitionibus puerorum mentibus ſæpe ac diligenter eſt inculcandum.

Proximum iam eſt vt quæ diximus ordine ſuperiori de Peccatorum fuga, & diſcrimine, de eorundem crebra Confeßione, & quotidiana orandi conſuetudine, memoria adhuc retineantur, & de iiſdē hac claſſe, huiuſmodi plura adijciantur. Sic de Peccatorum fuga plenius inſtitui poterunt, deſumptis, ſi libet, rationibus ex Methodo Confeßionis, ſub initium tertiæ partis, vbi agitur de Methodo deteſtandi omne Peccatum in generali, & tum paulo inferius, de Methodo vitandi Peccatum in ſpeciali. Etiam moneri poterunt huius & ſequentium Claßium diſcipuli, vt hunc vtilißimum libellum, in quo Peccata & eorum remedia

elegantiſsimè oſtenduntur, omnes ſibi comparent, ſed cum noua illa additione Petri à Soto, vt Dilingani, & Antuerpiæ iam proxime Amatus Tauernerius eam excuderunt.

Superiori Claſſe mentionem obiter iniecimus Peccatorum quorundam, quæ vulgo vocantur Aliena, quorum hic & Claſſe ſequenti oportet ſæpius meminiſſe, vt in quibus maximum eſt periculum & ſalutis diſpendium, quorum etiam perpetratio grauiſsimis Gehennæ afflictionibus eſt expianda, maiori ſtudio deuitentur. Doceantur igitur Pueri Peccata huiuſmodi, quæ alterius Conſilio, Iuſſu, vel malo exemplo committuntur, omnia in ipſius auctoris caput redundare, quo fit vt ſi abſque Pænitentia, talis è vita deceſſerit, poena ipſius apud inferos, vſque ad extremi iudicij diem ſemper augeatur, quotieſcunque ſcilicet huiuſmodi peccatum committatur.

Iam ex eadem Confeſsionis Methodo, inſtitui plenius poterunt de ratione Peccata coram Sacerdote rectè confitendi. (Cuius quidem Confeſsionis tam multiplex eſt vtilitas, vt ab inſtituto noſtro non alienum eſſe exiſtimem, eam hoc loco veræ Pietatis ſtudioſis accuratius paulo commonſtrare.

Prima *igitur Cõfeſsionis vtilitas in paruulis hæc eſt, quod Indoctorum & rudium adhuc conſcientiæ, prudentis ac docti Sacerdotis conſilio & opera de tota Peccatorum ratione rectè inſtituantur, vt intelligant quæ Peccata ſint vel non ſint, quæque ceteris*

grauiora ſint vel leuiora. Quod quanti momenti ſit facile cognoſcat qui animaduertit, quam corrupta, quamque temeraria ſint & peruerſa multorũ de Peccatis Iudicia, dum grauiora interdum crimina pro exiguis, aut etiam pro nullis æſtimant, & Peccatis interdum leuioribus ita conturbantur, vt pæne de venia & Dei ipſius Miſericordia deſperent, quod hinc certè potiſsimùm fieri exiſtimandum eſt, quod his de rebus non rectè à teneris inſtituti fuerint.

Altera vtilitas *eſt, quod non ſolũ Sacerdotis conſilio, exhortatione, & conſolatione adiuuentur, (quæ tria vel ſola ad Confeſsionem ſummopere nobis commendandam ſufficere poſsint) ſed eiuſdem quoq; oratione apud Deum commendantur, & proueuntur.*

Tertia, *Erubeſcentia in Peccatorum coram Sacerdote confeſsione in poenam à Deo imputatur, & faciliorem Peccatorum veniam promeretur. Vnde B. Auguſtinus, Verecundia, inquit, magna eſt poena, Qui pro Chriſto erubeſcit, dignus iam fit Miſericordia. Et Chryſ. Deus iubet nos, inquit, confiteri Peccata noſtra, vt verecundiam patiamur pro poena. Ex hac verecundia vero conſequitur, quod mentis humanæ ſuperbia, (quæ fons & origo eſt Peccatorum) hac humilitate deprimitur ac coercetur, quæ vt virtus eſt omnium maxima, ita Deo longè gratiſsima.*

Quarta *quod ob erubeſcentiam & pudorem confitendi, Peccata, à multis & à pueris potiſsimũ ſummo ſtudio caueantur, atque hoc modo ipſa peccandi li-*

centia, confeſſione crebra, quaſi freno coerceatur, & quo ſæpius peccata ſua confiteantur, eo facilius animam ab omni peccato puram cuſtodiant: tum vel propter verecundiam, ne ſæpius eadem peccata confiteri cogantur, tum propter robur, quod ex frequenti Confeſſione percipitur. Etiam propter diligentem curam vt in ſtatu gratiæ continenter permaneant.

Omitto nunc quintam, vt cuiuis notiſsimam, & in hoc negocio omnium primam & maximam, quod per veram & integram Confeſſionem, Peccata à Deo nobis remittantur, efficiamurque ex filijs iræ & maledictionis, filij Dei, & Regni cæleſtis, vnà cum Chriſto & omnibus Sanctis futuri cohæredes, quo nihil maius, nihil optabiliùs vel cogitatione poteſt concipi.

Quoniã vero iam multis laudibus extulimus ipſam Confeſſionem, vt eius quoque fructus, Pietatis ac litterarum profectum magis adiuuet, valde probanda videtur quarundam Scholarum conſuetudo, qua Diſcipuli in collegiũ iam primùm aſciti, per dies aliquot à ſtudijs vacant, & totius anteactæ vitæ confeſſionem inſtituunt, quibus etiam diebus inſtruuntur de modo examinandæ Conſcientiæ, & orandi Deum, vt nimirum ædificium eruditionis inueniat ſolidum fundamentum Pietatis, & vtriuſque progreſſus tamquam Scopus præ oculis ſemper habeatur.

Iam illud etiam ad hunc locum pertinet, vt pueri poſt Confeſſionem diligenter inſtituantur, quæ ſint optima aduerſus Peccata remedia, quæ licet pleraque

in Methodo Confeſsionis reperiantur, & nonnulla ſuperiori Claſſe oſtenderimus, cum Chriſtiani militis arma proferremus, tamen hic paucis rurſum præcipuorum huiuſmodi remediorum ſunt perſtringenda capita, quæ Didaſcalus latius exponet, & ſæpe repetet, vt paruulorum mentibus infigantur, ipſiſque ab his primis annis magis commendentur. Sunt autem hæc.

Generalia Peccatorũ remedia:
- Cogitare frequẽter:
  - Præſentiam Diuinæ Maieſtatis & Angelorum.
  - Vitæ breuitatem, & incertam Mortis horam.
  - Futurũ Iudicium, & Diuinam in eo Iuſtitiam.
  - Poenam damnatorum, & beatorum felicitatem.
- Fugere omnem improborum ſocietatem.
- Adiungere ſe bonis, & Deum timentibus.
- Fugere omnes Peccatorum occaſiones.
- Frequens:
  - Auditio Verbi Dei.
  - S. Scripturæ lectio & meditatio.
  - Peccatorum Confeſsio.
  - Sumptio S. Euchariſtiæ.
  - Vitæ & Paſsionis Chriſti commemoratio.
  - Oratio cum fiducia.

Hæc & alia id genus Peccatorum remedia tirones diligenter expendent & ediſcent, hæc meditentur & mente reuoluant, & his velut victricibus armis aduerſus hoſtium phalanges ſeſe inſtruant, atque ſic in omni cum ijs conflictu facile ſuperiores euadent. Sunt autem hæc Remedia Peccatorũ generalia. Specialia vero Remedia & propria aduerſus quæuis Peccata capitalia, licebit paucis verbis perſtricta legere in Directorio Confeſsionis Ioan. Polanci Societatis Ieſu theologi. Vel eadem latius enarrata, in ſuperiori Methodo.

Nunc ex ſuperioribus quædam paulo pluribus explicemus.

plicemus. Principio illud quotidiana experientia notiſsimum eſt, multis ad meliorem frugem contendentibus obeſſe malam Societatem, quæ, licet in præſentia minus ſentias, paulatim tamen à via Salutis ad perniciem pertrahit, non ſecus quam minuta animalia quædam, quæ vocant inſecta, cum mordent, inquit, Phædon, non ſentiuntur, ſed tumor relictus morſum indicat: Sic etiam vita ſequens ſæpe cōteſtatur, quantum obfuerit non vitaſſe prauorum conſuetudinem & ſocietatem. Hanc igitur tam contagioſam peſtem ſummo ſtudio euitandā curet, qui Diſcipulos ſibi concreditos, cito ad Chriſtum perducere cupit.

Inter omnia veræ Pietatis exercitia, nihil præſtantius aut Deo gratius, hominiq́; vtilius, & ad beatè viuendum accommodatius, quam ſe in aſsidua Vitæ & Paſsionis Chriſti meditatione diligenter quotidie exercere. Cuius exercitij commendatio cum paucis comprehendi non facile queat, legatur Præfatio Meditationum quotidianarum, quas Antuerpienſes his annis excuderunt cum minori Catechiſmo D. Petri Caniſij. In qua iſtius exercitationis multæ & illuſtres commendationes recenſentur, & vtiliſsima huius exercitationis ratio & modus commonſtratur.

Vt igitur adoleſcentes ad huiuſmodi vtiliſsimam exercitationem paulatim inducantur, operæprecium putauerim, vt eius nunc partem experiri incipiant, lecturi quotidie aliquid de Chriſti Paſsione, vel vt ea ab Euangeliſtarū aliquo deſcripta eſt, Vel certè Pre-

cationes de Paſſione Domini, Vel de S. Cruce. Et potiſſimum feria ſexta in memoriam Chriſti eo die in Cruce paſſi, & vt altius mentibus infigantur, vtile fuerit huiuſcemodi conuertere aliquando in ſermonem vernaculum.

Iam de Oratione licet Claſſibus ſuperioribus nonnulla dixerimus, tanta tamen eius eſt vtilitas, immo neceſſitas, vt eã hoc loco taciti præterire nequeamus. Vt igitur Aſcetæ & Chriſtianæ militiæ tirones, Deũ copioſiſſimum omnis ſapiẽtiæ & virtutis fontem pro ſtudiorum felici ſucceſſu & maiori Pietatis incremento feruentius quotidie orent, illud Iacobi Apoſtoli oculis perpetuo obuerſetur. Si quis, inquit, indiget ſapientia, poſtulet à Deo & dabitur ei.

Contra vero, ne ita nitantur Diuino præſidio & gratia, vt ea ſpe ſtudiorum laborem ipſi remittant; doceat Præceptor vel illo Græcorum ſenario: Manum admouenti ſunt vocanda Numina, *ſanctarum Precum exercitium cum ſtudiorum labore ac diligentia debere eſſe coniunctum. Nam cum Deus omnia Precibus noſtris abundãter largiatur; ita tamen animo conniti & labore contendere neceſſe eſt, quaſi is nihil daturus ſit niſi laboranti, vnde qui ad optatam ſtudiorum metam cito cupit pertingere, oportet vt is Spartam ſuam diligenter adornet, ſeque in Prælectionibus compoſitum, modeſtũ, ac attentum præbeat, auditaque ſumma diligentia repetat, vt memoriæ infigantur.*

Turpe putat M. Cicero in eius rei ſtudio defatigari, quam ſi quis acquiſierit, maximam vtilitatem & vberrimos fructus, honeſtam voluptatem, immortalem gloriam & ſempiternum nomen, omniumque optimarum rerum abundantiam conſequetur. Et legimus non paucos clariſſimos tanta diligentia litterarum ac philoſophiæ ſtudijs inſudaſſe, vt nec valetudinis, nec rei ſuæ familiaris rationem vllam habuerint, famem inſuper ac ſitim eorũ amore pertulerint. Et Romanæ facundiæ princeps M. T. Cicero affirmat egregiam illam Eloquentiã ſuam conſtare multis vigilijs, aſſiduo & vehementi ſtudio, longo vſu, & prope quotidiana dicendi exercitatione.

Poſtremo vt Tirones aduerſus quemuis hoſtis inſultũ pluribus ac paratioribus armis inſtrui doceantur, licebit hæc ipſa copioſè depromere ex libris Veteris & Noui Teſtamenti, & ex Scriptis ſanctorum Patrum: Sed vt arma Regis Saul, iuueni Dauidi non conueniebant: ita non quæuis huiuſmodi Scripta, apta ſunt cuiuis ætati: Seligenda ſunt igitur ex his, quæ vniuſcuiusque ætati & eruditioni ſunt congruentia. Primum igitur quilibet huius Claſſis diſcipulus, comparet ſibi librum Epiſtolarũ & Euangeliorum, quæ per totum annum pro Concione populo exponuntur. Et vbi plures in eodem viuunt contubernio, Euangelium proxima Dominica pro Cõcione exponendum, per tres dies antecedentes in menſa recitetur, & ſi videbitur, per totidem dies poſt Dominicam repetatur.

Vt quemadmodum corpus cibo, ita quoque animus interim ſalutari doctrina reficiatur.

Iam vt Euangelij ſententia rectius expendatur, intelligatur, & mente memoriaque teneatur, quilibet ante ſacram concionem explicandum Euangeliū exhibeat magiſtro verſum in idioma vernaculum, vt ſic tota Concionis materia animo impreſſa, magis iuuet ad eiuſdem explicationem attentas præbere aures.

Abſoluta vero iam concione ſinguli domum reuerſi, doctrinæ, ſententiæ, vel loci alicuius enarrationem, quam in concione ſacra didicerunt, memoriter recitēt, vel in ſchedula cōſcriptam Præceptori legendam exhibeant, vt omnes hoc modo iam inde à teneris aſſueſcant intentioribus animis ad ſingula auſcultare, ac non aures tantum, ſed etiam mentem ad conciones ſacras afferre.

Admoneat etiam nonnunquam Inſtitutor Templum eſſe locum ſacrum, & Chriſtianæ Pietatis domicilium, non debere proinde illud riſu, iocis, nugis, vel petulantia vlla profanari. Item nec præcipitanter ex eo vel in illud proruendū. In Supplicationibus adhæc Eccleſiaſticis, quas Proceſſiones dicimus, diligenter ab omnibus aut canendum eſſe aut orandum. Tum etiam modeſtè, decenter, ac religioſe cum ex aduerſo adiuncto comite cuiuis eſſe progrediendū. Quod vt ab omnibus ſtudioſius obſeruetur, admonebit quem in finem Supplicationes huiuſmodi à ſanctis Patribus ſint inſtitutæ.

In mēnſa *præterea legi poterunt Prouerbia Salomonis, aut eiuſdem liber Sapientiæ, aut qui inſcribitur Eccleſiaſticus, in quibus ad rectè viuendum erudiantur Adoleſcentes: Sic in Eccleſiaſte diſcant calcare, & prorſus contemnere quæ mundi ſunt; Ex libro Iob Virtutis & Patientiæ præclara exempla depromantur.*

Ad hanc etiam lectionem pertineant Selectiores S. Hieronymi Epiſtolæ, quas cum paucis adiunctis Scholijs Dilingani nuper excuderūt. Item Ioan. Lanſpergij libellus de milite Chriſtiano. Aut Canon vitæ ſpiritualis Lud. Bloſij: Aut certe libellus de Imitatione Chriſti Thomæ à Kempis.

Huius autem lectionis multiplex eſt vtilitas. Nam primum Lectores ipſi hinc diſcent rectè pronunciare, expeditè legere, & ſimul ipſi & auditores hinc ad pietatem & cultum Dei excitabuntur: Adde quod hac lectione impediuntur indecoræ puerorum fabulæ, & aſſueſcent in menſis ſilentio & modeſtiæ, adoleſcentiæ præclaris ornamentis.

Lectionis huius recitator, prius in conclaui ſibi legat, quam alijs recitet, vt in menſa legat expeditius, pronunciet intelligenter, & ſentētias aptè diſtinguat. Immo etiam, vt non ſolum vocem, ſed etiam motum aliquem afferat, rei de qua legitur, accommodatum.

Poteſt etiam Inſtitutor, ſi quis inciderit locus obſcurior, eum paucis verbis explanare. Si quis vero paulo inſignior, idoneusque vel ad formandos mores,

vel ad Chriſtianæ vitæ Inſtitutionem, is ſubinde eſt repetendus, & diſcipulorum animis commendandus.

Summa, nuſquam non, in ſchola, menſa, cubiculo, horto, quouis dico loco & tempore, captanda eſt pietatis promouendæ idonea occaſio, idque ſummo ſtudio, cura & induſtria. Nam cùm in omni quidem ætate, natura humana ad vitia procliuis, tum in primis adoleſcentia, ad vitia quam ad virtutes eſt multo propenſior, Leuis eſt, & inconſtans, & irrequieta, nec in vno conſilio diu perſeuerans, Immo etiam carnis æſtu incenſa, vix ſummo conatu ad iter Virtutum perduci poteſt.

CLAS-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CLASSIS III.

Summa Doctrinæ & Praxios, Claſsis III.

- **Chriſtianæ Pietatis**
  - **Doctrina**
    - Proſa
      - Summa Doctrinæ Chriſtianæ D.Pet.Caniſii.
      - Epiſtolæ B.Hieronymi ſelectiores.
      - Euangelia Græca Dominicarum totius anni.
    - Carmen
      - Hymni Prudentii, Flaminii, Vidæ, Ant.Houçi, vel La. Gambaræ.
      - Silua Leuini. Pſalmi Iac. Latomi.
      - Epigrammata quædam D.Proſperi.
    - Fugienda eſſe Peccata pueris maximè familiaria, & exercendas Virtutes contrarias.
    - Loquendum de reb. vtilib. Vitandamque ſermonis obſcœnitatem & loquacitatem.
    - Cõmendare pueris Ieiuniũ ſeu ciborum abſtinentiam.
    - Commendare iiſdem Eleëmoſynarum largitionem.
    - Docere pecuniam non inutiliter eſſe decoquendam.
    - Vitandum eſſe luxum ciborum, veſtium, & nõ neceſſariæ ſupellectilis.
    - Docere Cõfeſſionis effectum & maximam vtilitatem.
    - Docere Peccatorum diſcrimina, & in quibus maius periculum.
    - Suppeditare pueris noua quædã Peccatorum remedia.
    - Commonſtrare multiplicem ſumptionis S. Euchariſtiæ vtilitatem.
    - Cõmendare pueris quotidianã Paſſionis Dominicę meditationem.
    - Commendare pueris libros, quibus ſeipſos ad pietatem excitent.
    - Docere in libris ſacris nõ offendendũ humilitate ſtyli.
  - **Praxis**
    - Exercere quæ in ſuperioribus libris vel proſæ vel carminis didicerunt.
    - Vitare Peccata pueris familiaria, & exercere Virtutes contrarias.
    - Colloqui de rebus ad Dei honorem vel hominum ſalutem pertinentibus.
    - Orare, Ieiunare, & Eleëmoſynam largiri pauperibus.
    - In cibis, veſtibus, ſupellectile, odiſſe ſordes & luxũ &c.
    - Expendere pecuniam in vſus neceſſarios.
    - Peccata frequenter coram Sacerdote confiteri.
    - Vti certis & præſentibus Peccatorum remediis.
    - Sumere aliquando S. Euchariſtiæ Sacramentum.
    - Exercere ſe in quotidianis meditationibus Vitæ & Paſſionis domini.
    - Excitare ſe ad Pietatis opera lectione
      - certorum capitum noui Teſtamenti.
      - librorum de Imitatione Chriſti Thomæ à Kempis.
      - ſelectiorum Epiſtolarum S. Hieronymi.
      - Lanſpergii de milite Chriſtiano.
      - Canonis vitæ Spiritualis Lud.Bloſii.
      - Methodi Confeſſionis excuſæ Dilingæ &c.
    - In libris ſacris magis ſpectare ſalutarem doctrinam.

Diebus feſtis huic tertiæ & ſequenti Claßi prælegenda eſt Summa Chriſtianæ doctrinæ per Reuerendum D. Petrum Caniſium, & in Græcis Euangelia, quæ vocant Dominicalia. Tum ſi plus otij ſuppetat, aliud quippiam, quo adoleſcentes ad Pietatem excitentur, vt aliquid Baſilij, Chryſoſtomi, Flaminij, vel Vidæ, aut hymnus aliquis Prudentianus. Huc ſpectant & ſelectiores illæ B. Hieronymi Epiſtolæ, quarum ſupra mentionem fecimus.

Neceſſe vero eſt vt Præceptores huiuſmodi ſacris prælegendis adhibeant ſummam diligentiam. Nam peccare eos, qui docent in Scholis, prope dixerim, qui tot labores Scriptoribus profanis explicandis, excutiendis, & retractandis tribuunt: Sacris vero litteris, impendunt quam minimum loci, horarum, & operæ. Et de libris Doctrinæ hæc breuiter, nunc de ijs agendum eſt quæ ad praxios rationem pertinent.

Vt igitur Iuuentus quam maximos progreſſus faciat in Chriſtianæ Pietatis exercitijs, conſiſtit potißimum in diligentia & ſedulo officio Præceptoris, qui Diſcipulis rectè viuendi leges ac conſilia præſcribit, & quaſi expeditam commonſtrat viam, quæ eam ingreſſos ad æternam perducit Beatitudinem.

Ad hanc rem permultum confert nullo non & tempore & loco pueros ab ijs deterrere vitijs (vt iam ſæpius à nobis eſt dictum) quibus eorum ætas ſolet eſſe magis obnoxia. Vt à mendacijs, rixis, conuitijs, & contumelijs. Ab ira, odio, & inuidia. A morum inſo-

lentia, Item à iureiurando & obtrectatione, A furto & ab omni dolo malo. Ante omnia Vero ab omni ſermonis & geſtus cuiuſuis obſcoenitate: à quibus niſi tempeſtiuè coerceantur, ad omnes ineptias prolabuntur, vt quos natura ad vitia, quam ad virtutes pronior impellit. Ob hæc etiam obſcoenas picturas, cantiones & libros ſemper fugiant. Atque hæc obiter de fugiendis Peccatis, de quibus copioſius alijs locis.

Proximum iam eſt, vt adhortetur & accēdat omnes ad conſectandū Virtutes ſuperioribus vitijs contrarias. Ad ſermonis veritatem, ad mutuam caritatem, ad benignitatem, manſuetudinem, ad caſtitatem & modeſtiam, humilitatem, obedientiam, ad omnem denique probitatem & honeſtatem.

Ita loquātur, vt facile de verbis ocioſis olim apud omnipotentem Deum rationē poſſint reddere, Aſſueſcentes loqui fere de ſtudijs, & rebus honeſtis, Memores in primis, illius verbi Apoſtoli, Fornicatio & omnis immunditia ne nominetur quidem inter vos, ſicut decet ſanctos. Item illius verbi Euangelici: Omne verbum otioſum, *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.*

Porro cum multa ſint Pietatis & Virtutis exercitia, ſeu bonorum operum genera, inter hæc tria tamen ſunt cæteris eminentiora, quæ iam Pueri didicerunt in Catechiſmo, & in Sermone Chriſti in monte, Oratio nimirum, Ieiunium, & Eleēmoſyna. De Oratione ſatis in ſuperioribus Claſſibus.

Nunc vero tempus admonet, vt qui per ætatis acceſſum & corporis vires ac robur ferre queant, excitentur etiam ad Ieiunia, quibus niſi ab his annis aſſueuerint, grandiori ætate eo difficilius admiſerint, quod carni ingrata ſint, eique prorſus aduerſentur. Vt igitur libentius ac quaſi ſponte ſua hanc corporis afflictionem ſubeant, ac ſuſtineant, proferenda ac declaranda ſunt illis preconia & fructus Ieiunij, ex Scriptoribus illis, quorum libri indicantur in Summa doctrinæ Chriſtianæ cap. 5. de Ieiunio. Adhæc Præceptum Eccleſiæ, Chriſti poſtremò, & Sanctorũ exempla. Legatur B. Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. Baſil. oratione 1. & 2. de Ieiunio, Item Sanctorum Hiſtoriæ, ſeu vitæ La. Surij. Ieiunent igitur vel parum qui annum 9. vel 10. iam exceſſerunt, & huic tam ſalutari exercitio moneãtur ſingulis annis aliquid adijcere: Ita tamen vt Ieiunia cuiusque ætati accommodentur. Cauendum enim ne quid hic temere tentent paruuli, vltra quam ferre queant. Atque hæc nunc breuiter de Ieiunio.

Iam ſi qui fuerint ceteris locupletiores & bene nummis inſtructi, quibus ſcilicet vti poſsint pro ſuo ipſorum arbitratu, ac voluntate, etiam ad Eleēmoſynam excitentur allata huc ampliſsima illa mercede, quam Deus benigniſsimus bonorum operum remunerator Eleēmoſynis noſtris retribuet, Nimirum quod in extremo Iudicio Deus Iuſtis æternam Beatitudinem eſt redditurus, & propter ea neglecta redditurus

Iniuſtis perpetuum ſupplicium. Ipſa eſt, inquit Tobias, loquens de Eleëmoſyna, quæ facit inuenire Miſericordiam & vitam æternam. Et Iac. 2. Iudicium ſine Miſericordia illi, qui non facit Miſericordiam. Iam etiam Miſericordia ſeu Eleëmoſyna pluribus poterit commẽdari ex Caniſij Summa doctrinæ Chriſtianæ Cap. 10. 11. 12. &c. Spiritualis adhæc Eleëmoſyna non minus eſt pueris commendanda quàm Corporalis, quod ab ea ſcilicet neglecta, difficilior ſit excuſatio, quàm à Corporali.

Vt vero Ieiunium & Eleëmoſyna magis pueris commendentur, vtile fuerit dictare illis nonnunquam ex huiuſmodi argumentis Epiſtolæ vel carminis materiam.

Vt verò pueris maior ſuppetat Corporalis Eleëmoſynæ materia, ſi qui à parentibus fortaſſe vel ab amicis pecuniam acceperint, moneri debent ne eam libis, pyris, malis, nucibus, aut alijs id genus cupedijs inſumant, ſed vt ſeruent illam & expendant in vſus neceſſarios & ſalutares.

Illud iam etiam huc pertinet, vt ſi Chriſtianæ pueritiæ formatores animaduerterint fortaſſe aliquem notabilem luxum in diſcipulorum menſis aut veſtimentis, admoneant tales exemplo illius diuitis epulonis apud Luc. 16. qualis eorum ſit futurus exitus, qui hic luxu ciborum veſtiumq; diffluunt. Primum enim quo corpus curatius fuerit, eo fere neglectior eſt animus, & quo idem tractatur mollius, eo magis ac

acrius

acrius menti reluctatur. Atque vt equus delicatè paſtus ſeſſorem excutit, ſic nimia indulgentia & ſagina corporis, acumen ingenij retunditur, vigor mentis debilitatur, vt nec ad Virtutem, nec ad ſapientiam rectè queat aſpirare.

Conſueuerunt nonnulli vix ephœbiam egreſſi, cura aut praua indulgentia parentum primùm frequenter huc incitati, gaudere precioſis veſtimentis, ſpectareque in ijs & exquirere nouam aliquã vel exoticam formam. Inducendi ſunt igitur tales crebra admonitione vt in cibo ac potu ſobrietatem, in veſtimentis ament honeſtatem. De his plura diximus lib. 2. Claſſe prima, vbi de morum egimus ciuilitate.

Præterea ad rectè beatèque viuendum magiſter diſcipulos ſibi commiſſos inſtanter & ſedulo cohortetur, inclamet ſæpius, nec monere deſinat, ſtudiorum omnium & totius vitæ ſcopum eſſe Chriſtum, ad quem omnia ſtudia, omnes conatus, omne otium & negotium referenda ſint ac dirigenda.

Breuiter iam inde à primis vitæ Rudimentis docendus eſt puer timere & amare Deum, nihilque omnino facere quod ipſius Mandatis aduerſatur, in quo totius humanæ ſalutis ratio poſita eſt, cum ſcriptum ſit, Matth. 19. Si vis ad Vitam ingredi, ſerua Mandata.

In præuaricatores igitur ſanctarũ legum & mandatorum Dei, Præceptoris tamquam ſummi magiſtratus officium ſit, ſine omni fauore ac diſcrimine perſo-

perſonarum acriter animaduertere, Vt qui Virtutis amore peccare non oderint, ſaltem ſuppliciorum timore peccare metuant. Atque vel ſic tandem bene agendi conſuetudo, in vſum ac quaſi in naturam vertatur.

Porro quod ſuperius diximus de crebra Peccatorum Confeßione, etiamnum retinendum eſt, & obſeruandum, vt quo maior iam extiterit ætatis, iudicij, & eruditionis acceßio, hoc vberiores Pietatis fructus ad confitentes redeant. Nec quiſquam mirari debet nos toties incidere in Confeßionis commendationem, præſertim cum ex ea rectè inſtituta, tam amplæ percipiantur vtilitates, vt eam vix quiſquam ſatis laudare ſufficiat. Inter reliquas vero ſuperius enarratas Confeßionis laudes, hæ quoque à nobis prætereundæ non ſunt. Quod homo peccator in Confeßione, opera & inſtitutione Sacerdotis, diſcat inter Peccatũ, & non Peccatum, adhæc inter grauius & leuius noſſe diſcrimina, & morbo iam cognito conuenientia adhibere remedia.

Si enim in Pietatis ſtudio quis torpeat, adhortatione Sacerdotis ad alacritatem excitabitur: Si ſit forte puſillanimis, conſolatione eiuſdem erigetur: ſi obſtinatus, minis ipſius terrebitur, & poſtremo oratione eiuſdem apud Deum adiuuabitur, & gratiæ, vnde per Peccatum exciderat, per pænitentiam & Sacerdotis orationem reſtituetur.

Breuiter cum multa ſint Peccatorum remedia, crebro Sacerdoti Peccata ſua confiteri, multorum

remediorum inſtar eſt, & alia pleraque complectitur. Nulla igitur res homini maiori curæ eſſe debet, quã vt frequenti Peccatorum Confeßione, propter multa quæ impendẽt vitæ pericula, ſtudeat Deo reconciliari.

Quin etiam, qui piè ac religioſè Pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipiunt, præter ipſam Peccatorum remiſſionem, maximam quoque cõſequuntur conſcientiæ pacem & tranquillitatem, cum ſumma ſpiritus iucunditate; quod nulla re alia quam multa experientia facilius percipitur.

Sed iam materiã de Peccatis abſoluemus, ſi prius illud adiecerimus. Vt lætalium omnium Peccatorum genera ex minori Catechiſmo puer didiciſſe debet; Sic hac tertia Claſſe ex Summa doctrinæ Chriſtianæ ipſas etiam lætalium criminum ſpecies oportet perfectè habere cognitas, vt quoduis peccatum ſtatim ad ſuum fontem ſeu genus reducere poßit adoleſcens.

His iam proximum eſt, vt pueri diligentißime inſtituantur & exerceantur in ijs Peccatis quæ vulgo vocantur Aliena, quod ea longè latèque pateant, & à multis ſumma licentia perpetrentur, adeoque iam vulgò non caueantur, vt ea plerique non eſſe Peccata exiſtiment, & ob id floccipendant ſuas, aliorumque Conſcientias his Peccatis inquinari. Cum tamen pœna damnationis pro huiuſmodi criminibus infligenda, futura ſit longè grauißima, vt diximus Claſſe ſuperiori.

Quæ ſuperioribus Claßibus indicauimus arma tironis

ronis Chriſtiani, & Peccatorum remedia, poſterioribus his curijs oportet in primis meminiſſe, eaque ſemper ad manum quilibet habere debet, cum tot hoſtibus conflicturus; & vt ex varijs quiſque ſeligat, quæ ſibi magis videantur conuenire, viſum eſt hoc loco ſuperioribus Peccatorum remedijs nonnulla adijcere.

Si quis igitur ſenſerit ſe ad aliquod Peccatum multum propendere, ad illud facilius euitandum his etiam vtiliter licebit vti remedijs.

I. Certo apud ſe ſtatuat, quoties tale Peccatum admiſerit legere prima oportunitate Septem Pſalmos Pænitentiales.

Vel Precationes Pænitentium.

Vel Paßionem Domini.

Vel dies aliquot ieiunare.

Vel pauperibus largiri certam eleẽmoſynam.

Vel denique intra tres dies Peccata ſua coram Sacerdote confiteri.

II. Quod quotieſcunque de tali Peccato tentabitur leget ſtatim 7. Pſalmos, Vel Preces Pænitentium, aut hiſtoriam Dominicæ Paßionis: Item Orationes aliquot ad B. Virginem, vel alios Sanctos; priuſquam de tali Peccato velit cogitare.

III. Poſtremò & illud apud ſe firmè ſtatuat, quod quoties de tali Peccato ſolicitabitur, animum ſuum applicabit, ad cogitandum malum ex eo ſibi euenturum, nimirum Mortis periculum, Æternam damnationem, & perpetuæ illius Beatitudi-

nis ac Felicitatis æternæ priuationem.

His armis qui bene vti didicerit, ſentiet ſe ab hoſtium Infeſtationibus illæſum facile euaſurum, victoriaque certaminis potiturum. Quamobrem hæc ſæpius pueris commendentur, & ab iiſdem an certè meminerint, rurſus exigantur. Sed de Pænitentia, quæ S. Euchariſtiæ ſumptionem antecedere debet, hæc opinor iam ſatis, aut etiam plura fortaſſe quam debuimus. Agendum nunc igitur nobis de Venerabili altaris Sacramento, quam alij vel Synaxin, vel S. Euchariſtiam, vel Cœnam Dominicam nominant.

Si qui fuerint igitur huius curiæ diſcipuli natu paulo grandiores, diligenter hi debent inſtitui de V. Euchariſtiæ Sacramento, & crebræ eiuſdem Sumptionis multiplici fructu & longè maxima vtilitate, de qua pluribus infra Claſſe II. & I. Debent adhæc adoleſcentes crebris didaſcali ſui monitis potius aut conſilijs, quam iuſſis vel aliquo impulſu induci paulatim, vt cum antecedenti ſemper diligentiori præparatione mentis, ſæpius hoc Sacramentum ſumant, quod cum dignè ſumentibus ingentem multiplicemque conferat gratiam, & hominem ad ſummam vſque prouehat beatitudinem, non immerito Euchariſtia, hoc eſt, bona gratia eſt appellatum. In eo ſiquidem & præſentis infirmitatis certiſſimum eſt remedium, & vt Eccleſia canit, futuræ Gloriæ nobis pignus datur.

Nec eſt cur ab hac menſa velit ſe quis ſubducere, cum ipſe Dominus omnes ad eam tam amicè & planè

ſuauiter

ſuauiter inuitet. Venite, *inquit Matth.* 11. ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, Et ego reficiam vos. *Sanè ad hanc menſam cuiuis patet acceſſus, qui poſt veram Pœnitentiam cum Fide Spe & Charitate acceſſerit: At qui contra in aliquo flagitio pertinaciter perſeuerans non veretur ad eam accedere, Diabolo ad ſe poßidendum perdendumque viam aperit, quemadmodum de Iuda ſcriptũ eſt, quod poſt buccellam Satanas in eum introiuit.*

Non multo leuius videntur peccare & illi, qui quod ſeſe indignos hac menſa reputent, ab ea potius abſtinent, quam dent operam vt ad eam dignè accedant. Nam vt indignè accedens perit propter temeritatem, ſic accedens indignè damnatur propter corrigendi ſui negligentiam. Sed nos plura Claſſe ſequenti.

Iam exercitium illud in lectione & quotidiana meditatione Paßionis Dominicæ ſuperiori claſſe cœptũ, oportet omnino proſequi. Ceterum cum in dominica paßione varia exercitationum genera à pijs viris conſcripta ſint, mihi probatur illud, vt pueris maximè conueniens, quod Antuerpienſes adiunxerunt paruo D. Caniſij Catechiſmo, conſcriptum ab eiuſdem Catechiſmi auctore, ſi modo non fallitur interpres libelli germanicus. Nec minus placuerit Enchiridion piarum meditationum vitæ & Paßionis Domini, 4. Septenarijs comprehenſarum per R. D. Valentinum Priorem Monaſterij in Riechenbach.

In eo igitur legatur quotidie iuxta ordinem die-

rum hebdomadæ vna Meditatio, vt ſcilicet inſignes illæ Chriſti Virtutes, Humilitas, Manſuetudo, Patientia, Obediẽtia, Charitas, & id genus reliquæ, pueris ſtatim à primis annis innoteſcãt, & in exemplum quod imitentur, oculis eorum perpetuo obuerſentur, Quin etiam vt præclaras illas Chriſti Virtutes, ſibi ipſi magis commendent, & acerbiſſimas Chriſti afflictiones altius infigant mentibus, profuerit Chriſti Paſſionẽ vt ab Euangeliſta aliquo conſcripta eſt, vario genere carminis conuerſam Præceptori exhibere.

Poſtremò vt Diſcipulus ſeipſum acrius ad ſtudium Chriſtianæ Pietatis extimulet, illi quoque opus fuerit, crebra ac multa piorum librorum lectione. Vt vero in ijs ſeligendis iudicij inopia nõ fallatur, Præceptoris erit iudicarè, quid huic ætati maximè congruat, vt cum huiuſmodi multos legere non expediat, ex pluribus vnus aut alter ſeligatur, quo Pietatis ſtudium maximè ſperet prouehendum.

Inter hos igitur merito primas obtinet Nouum editionis vulgatæ Teſtamentum, ex quo initio ſeligenda ſunt, quæ ad Chriſtianam Pietatem pueros præ ceteris informẽt ac erudiant. Cuiuſmodi fuerint Chriſti aliquot Conciones, vt illæ apud Mattheum Cap. 5. 6. & 7. à nobis poſitæ in ſuperioris Claſſis indice.

Item ad Rom. Cap. 12. 13. 14.

I. Ad Corhint. Cap. 12. 13. 14.

Ad Galathas Cap. 6.

I. Ad Timoth. 4. 2. ad Timoth. 2. 3. 4.

Iacob 1. 1. Pet. 1. 1. Ioan. 4.

Poſt nouum vero Teſtamentum non oſcitanter legendus libellus ille verè aureus Thomæ à Kempis de mundi contemptu & imitatione Chriſti, cuius eæ ſunt laudes apud homines eruditione, pietate, & prudentia præſtantes, vt haud ſciam, an poſt Scripturam Canonicam, quidquam magis cõducat ad pietatis profectum in Chriſtianis hominibus promouendum.

Ex diligenti etenim ac crebra huius libelli lectione, erudietur adoleſcens ad mundi contemptum, ad ſedulam Chriſtianarum Virtutum exercitationem & Euangelicam perfectionem.

Ex eodem depromet contra omnia vitia & Peccata, Contra labores & moleſtias, contra omnia huius mundi incommoda ſalutaria cõſilia & apta remedia.

Quamobrem, vt vberiores fructus ex hoc libello percipiantur, conſuluerim, vt ex primo libello Mane & Veſperi, ante cibum, Vel à cibo iam ſumpto legat adoleſcens in ſilentio quotidie caput vnum, in eoque iam lecto & intellecto pauliſper meditetur, atque vbi hoc modo primum librum abſoluerit, eundem ab initio denuo repetat, Facturus tum idem anno ſequenti in lib. 2. ac 3. Atque ita percipiet haud dubiè occultos quoſdã Spiritus ſancti igniculos ad Pietatis ſtudium vehementer ipſum incitantis, Immo trahentis & inſtigantis.

Etenim ſi Hortenſius Ciceronis, quo ſuos ille hortabatur ad gentilem Philoſophiam amplectendam le-

ctus B. Aug. tantam illi occaſionem præbuit ad Chriſtianæ Philoſophiæ inquiſitionem, quemadmodum, Confeſſionum libro de ſe ipſe teſtatur, vt ei repente vileſceret ſpes omnis vana, & immortalitatẽ ſapientiæ, incredibili cordis æſtu cõcupiſceret, & ſurgere iam inciperet, vt ad Deum rediret; quid non pollicebimur de ſcriptis Euangeliſtarum & Apoſtolorum?

Nec illud quemquam mouere debet, ſi dictionis character vel in hoc libello, vel in Nouo Teſtamento, alijſque conſimilibus non ſatis fortaſſe purus ac nitidus eſſe videatur. Sed potius cogitandum tunc eſt familiare hoc eſſe ſacrarum rerum ſcriptoribus, vt ſæpenumero ſtylum de induſtria negligant, quo ad rerum quas tractant accuratiorẽ conſiderationem, lectorum animi magis erigantur, & veritatem ipſam ac vtilitatem magis inquirant, quam ſermonis nitorem aut Eloquentiam.

Veritas Diuinarum Scripturarum verborum lenocimo, inquit Claudius Vicxmentius Pariſienſis, & mundanæ Eloquentiæ fuco non indiget, cum clara & illuſtris appareat ſuo ipſa lumine, menteſque, non aurẽ paſcere debeat. Sermo rudis, ait Hieronymus, vſq; ad cor penetrat, Politus autem paſcit aures.

Adhæc Regnum Dei non in ſermone: ſed in Virtute eſt, teſte Apoſtolo, non enim verborum pulcris frondibus & folijs, ſed bonorum operum ſolidis fructibus arbor Euangelica dignoſcitur: Non quàm diſertè & politè, ſed quàm probè & piè

vixerimus, olim Deus Iudex requiret.

In rebus Litteriſq́; Diuinis humana ornamenta vtiliter negliguntur, Dei virtus & Sapientia, ſimplicitate, vt in Apoſtolis, mundo commendatur: Ardor piæ mentis, & innocentia vitæ quæritur. Orationis lenocinia ſtudioſè cauentur, vt prædicatio Fidei non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed oſtenſione ſpiritus & virtutis conſtare videatur. Suum obtinet Eccleſia eloquiū ac dicendi genus quoddam peculiare: non ſucatum quidem illud, ſed tamē maſculum, caſta ſimplicitate, ac decenti grauitate, mirabilique foecunditate, & latente ſpiritus virtute, quam pij inde reponunt, effloreſcens. Idcirco vehementer optandum ac enixè prouidendum eſt, vt Iuuentus Chriſtiana iam inde ab incunabulis, materno potius lacte nutriatur, in ſana videlicet ac probata Eccleſiæ ſanctæ doctrina prouehatur, iiſdemque Scripturæ citandæ verbis aſſueſiat, quam nouorum Scriptorum & errorum fermento miſerè vitietur.

Quamobrem veræ ac Chriſtianæ Pietatis ſtudioſus ea nunquam contemnet, quæ piè quidem, ſed minus purè, politè, ac eleganter ſcripta ſunt. Iſtiuſmodi enim leuitas, vani, arrogantisque animi euidentiſſimum foret argumentum.

Sed quæcunque bona ſunt ac vtilia, ſiue ſimplicibus & rudibus verbis, ſiue culta & eleganti dictione enuncientur, cum gratiarum actione excipiet, nec eadem ſæpius etiam vel legere, vel audire pige-

bit. Nimius profecto Eloquentiæ ardor, mentes eorum, qui minus attenti ſunt, facilimè à Deo & pietate auocat, & in præcipitium philautiæ, ſuperbiæ, atque coenodoxiæ pertractas velut atheas ſolet reddere.

CLAS-

CLASSIS II.

Summa Doctrinæ & Praxios, Claſsis II.

Chriſtianæ Pietatis

- **Doctrina**
  - Latini
    - Summa Doctrinæ Chriſtianę D.Pet.Caniſii.
    - Selectæ epiſtolæ B.Hieronymi.
    - Aliquid Cypriani, Lactantii.
    - Liber aliquis de Ceremoniis Eccleſiaſticis.
  - Græci
    - Euangelia Dominicalia.
    - Chryſoſtomus de orando Deum.
    - Eiuſdem aliquid de Eleëmoſyna.
    - Baſilius de Ieiunio.
  - Inſerere adoleſcens Timorem Dei
    - I. Ex Dei ipſius in omni loco præſentia, & actiones noſtras conſiderantis.
    - II. Ex iugi memoria quatuor Nouiſſimorũ
      - Mortis.
      - Iudicii extremi.
      - Inferni.
      - Regni cælorum.
  - Commendare frequenter Adoleſcentibus tria illa genera bonorum.
  - Operũ eminentia. Orationẽ, Ieiunium, & Eleëmoſynã.
  - Commendare iiſdem crebras Peccatorum Confeſſiones ex Claſſib. ſuperiorib.
  - Oſtendere iiſdẽ multiplicẽ fructũ crebræ Cõmunionis, & quæ ad dignam eius ſumptionem requirantur.
  - Docere Pietatis veræ ſtudioſo vitandas eſſe oẽs malorũ occaſiones, Otium præcipuè & malam Societatem.
  - Commendare adoleſcentibus ſacras Preces, & docere rectum orandi modum.
  - Commendare iiſdem certos libellos, quibus ſeipſos ad piè viuendum excitent.
- **Praxis**
  - Exercere quę in libris ſuperiorib. Latinis & Gręcis continentur.
  - Cogitare ſemper ipſius Dei in omni loco præſentiam.
  - Quatuor Nouiſſimorum memoriam è mente nunquam ſeponere.
  - Orare, Ieiunare, & largiri Eleëmoſynam.
  - Peccata crebro confiteri coram docto Sacerdote.
  - Sumere frequenter S. Euchariſtiam.
  - Exercere ſe in Meditationibus adiunctis Paruo Catechiſmo.
  - Vitare omnes Peccatorum occaſiones, Otium præcipuè & malam Societatem.
  - Excitare ſeipſum ad pietatis opera lectione
    - Siluæ Carminum Leuini & aliorum lib. ſuperioris Claſſis.
    - Exercitiorum piorum D.Nicolai Eſchii.
    - Thauleri de Paſſione Domini.
    - Libri de Imitatione Chriſti Thomæ à Kempis.
    - Hiſtoriæ Barlaã & Ioſaphat per Io.Damaſcenum.
    - Sacrarum Concionum Adami Saſboldi.

Diebus

Diebus feſtis prælegetur ſumma Doctrinæ Chriſtianæ cum ſuperiori Claſſe, ac iam oportet huius Claſsis Diſcipulos diligentiſsimè in ea exerceri, ipſiſq; huic totum libellum reddi quaſi familiarem, vt nihil in ea ſit quod non magno ſtudio ac diligentia excuſſerint & examinarint. Adijcietur præterea huic libello aliquid ex Indice ſuperiori, ſeu Latinè, ſeu Græcè ſcriptum.

Ad Pietatis augmentum illud etiam pertinere, ac multum conferre exiſtimauerim, ſi Adoleſcentes & in hac, & in ceteris Claſsibus crebrò admoneantur, quibus operibus Chriſtiani diem feſtum celebrare ac ſanctificare debeant, non ſomno videlicet diuturno, vel inerti ocio, non luſu, nugis, vel fabulis, non conuiuijs & compotationibus; Sed auſcultatione Diuini officij, audiendo videlicet Sacrificium Miſſæ, Diuinas laudes, Conciones ſacras, Viſitando ægrotos, Conſolando afflictos, ceteriſque hoc genus Miſericordiæ & Pietatis operibus.

Prima vero ac præcipua Virtus in Scholaſtico adeoque in omni homine Chriſtiano Pietas eſt, quam in ludo, in templo, domi & foris, denique in omnibus locis & actionibus eius lucere neceſſe eſt; Qua deſtitutus infeliciter in ſtudijs & in ſcholis verſabitur.

Hæc vero in adoleſcente conſtare non poteſt, ſi abſit Timor Domini, quo veluti freno ad malum proni & lubrici adoleſcentiæ impetus cohibentur, ne ſectentur vanitatem aut inſanias falſas: Hoc qui caret,

haud ſecus quàm equus aliquis amiſſo præceps feretur in omne malum, faciens voluntatem Carnis & cogitationum. Nec quidquam aliud plus obſtat hodie puerorum profectui, quam Pietatis omnis & Timoris Dei ſecuriſſimus contemptus, vt à Propheta illo Regio veriſſimè dictum ſit. Initium Sapientiæ Timor Domini; *eodemque ſpectat illud Oratorum Principis Ciceronis.* Pietas fundamentũ eſt Virtutum omnium.

Hæ igitur Virtutes præcipuæ ac omnium primæ, vt magis ſtudioſis commendentur, ſæpenumero proponendæ ſunt illis egregiæ huiuſmodi commendationes, quibus ad earum ſtudium paulatim queant excitari.

Exiſtimauerim vero ad hunc Dei Timorem profundius puerorum mentibus infigendum conferre plurimum, ſi frequenter illis inculcetur Deum vbique locorum illis eſſe præſentem, omniaq́; quæ vel loquantur audire, quæque faciant præſentem coram videre, atque adeo quæ in intimo cordis recondita gerant, noſſe perfectiſſimè. Memores ſemper illius verbi B. Auguſt. Qui vult Deum timere, illum cogitet omnia videre. *Atque vt hæc Dei præſentia puerorum oculis perpetuo obuerſetur, non inutiliter, in Cubiculi, Conclauis, Atrij, Coenationis, & Scholæ parietibus deſcribetur Iambicũ illud litteris maiuſculis,* DEVS INTVETVR OMNIA.

Huc etiam profuerit Scripturæ ſacræ teſtimonijs hãc Dei præſentiã ſæpenumero cõprobare, Cuiuſmodi

Oculi Domini *multo lucidiores ſunt ſuper ſolem, circunſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.*

Omnia opera hominum, *velut ſol in conſpectu Dei. Eccl. 17.*

Omnia nuda, *& aperta ſunt in oculis eius. Ad Heb. 4.*

Qui fecit aurem, *non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat? Pſal.*

His igitur & pluribus alijs argumentis certò cuiuis conſtare poteſt Deum omnes noſtras actiones, omnia ſtudia, adeoque intimas cordis noſtri cogitationes perfectè conſiderare: idque in hunc finem, vt vnicuiq; reddat, ſecundum vias ſuas, & ſecundum fructum adinuentionum eius, vt inquit Propheta Hieremias. Hinc ita de ſe ipſe ſcripſit B. Auguſt. Cum illum mihi vbique præſentem, & omnia videntem intueor, timore pariter & ingenti rubore confundor.

Proximum verò quod ad Dei Timorem in adoleſcentum cordibus excitandum permultum conferre conſtat, eſt iugis memoria Nouiſſimorum, quæ nimirum à vanis cogitationibus, terreniſque rebus hominem reuocat, eumque ad ſui cognitionem ac ſalutarem Dei Timorem impellit, & in eodem promouet ac conſeruat.

Contra vero filij huius ſeculi, ante quorum oculos non eſt timor Dei, tenent, inquit S. Iob. tympanum &

cytharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Infernum deſcendũt.

Horum igitur quatuor Nouiſſimorum memoriam, diſcipulorũ auribus iugiter inſonet Præceptor, qua & à malefactis abſterreantur, & ad Dei Timorem, & actiones ſalutares excitentur.

Iam vt Virtutes ſeptem Peccatis capitalibus oppoſitæ, Item Oratio, Ieiuniũ, Eleëmoſyna perfectius paulatim intelligantur, ſtudioſius expendantur & excolantur, frequenter ex huiuſmodi Epiſtolæ vel Carminis argumentum depromi poterit. Ac de Virtutibus legendus tum puero libellus ille, qui Methodus Confeſſionis inſcribitur. De Oratione vero Ieiunio & Eleêmoſyna certa aliquot Scripturæ ſacræ teſtimonia pueris debent indicari.

Porro duabus Curijs antecedentibus admonuimus adoleſcentes paulatim eſſe inducendos ad crebras Peccatorum Confeſſiones, in ijsque non parum ſpiritalis profectus conſiſtere; Quod in duobus his poſtremis ordinibus exiſtimamus frequenter repetendum, vt remiſſi & languidi adhuc crebris Præceptoris monitis & conſilijs huc inuitentur potius, quàm aliquo rigore impellantur, & reliqui iam ſæpius confitentes in exercitatione tam ſalutari iugiter perſeuerent.

Qui ſunt ætatis prouectioris iam etiam magna diligentia neceſſariò debent inſtitui de ſacræ Euchariſtiæ ſacramento, de quo cum alia multa, quæ ſcire oportet adoleſcentes, doceant Catechiſmi, tum in pri-

mis hæc tria Primum quam ob cauſam Chriſtus illud inſtituerit.

Tum quæ ad dignam eius ſumptionem requirantur. Poſtremo quinam fructus dignam ipſius ſumptionem conſequantur. De duobus prioribus ſatisfecerint abunde Catechiſmi. De poſtremo nos hoc loco aliquid ſumus adiecturi.

Dicturi nunc igitur de multiplici & perquam ſalutari fructu crebræ V. Sacramenti ſumptionis, redigamus illum, quantum poſſimus, ad certa aliquot capita.

Primum *igitur illud certum ac indubitatum per Euchariſtiam non indignè ſumptam Peccata Venialia, & inter confitendum forte oblita, nobis remitti & condonari, tum ipſas etiam Peccatorum reliquias ſubmoueri. Præterea auferri à nobis tum pronitatem in Peccata relabendi, tum habitus vitioſos ex Peccatis relictos. Vnde B. Amb. Iſte panis inquit, ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis Et B. Auguſt. Si quotidianus eſt panis, accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit.*

Secundo, *Digna ac crebra V. Sacramenti ſumptione Peccata facilius euitantur, Communimur enim eo ipſo, & incolumes conſeruamur aduerſus Tentationes Dæmonis. Amb. Cum viderit, inquit, Diabolus hoſpitium tuum occupatum, & cæleſti fulgere præſentia, intelliget locum tentamentis ſuis eſſe interclusum per Chriſtum. Carnis adhæc libidinem & malas cupi-*

ditates

ditates cohibet. Bernardus ſerm. de Coena Domini. Si quis veſtrum, ait, nõ tam acerbos ſentit iracundiæ motus, Inuidiæ, Luxuriæ, aut ceterorum huiuſmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam Virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod peſſimum vlcus accedat ad ſanitatem.

Tertio, *Multa ac præclara gratiarum dona V. Euchariſtiæ Sacramento nobis conferuntur. Nam & mentes dignè ſumentium ad ſtudium bonorum operum extimulat, & rerum ſupernarum deſiderio accendit, inflammat, & quaſi cœleſtes efficit, Dilectionem Dei & Proximi exuſcitat ac fouet. In fide conſtantiam, In aduerſis patientiam, & plenum omnis gratiæ præſtat augmentum. Adeoque vel ipſa experientia compertum eſt in ijs qui hoc Diuinum myſterium ex fide & deuotione frequentant, mirificam fieri vitæ morumque mutationem, cum luxuriam, impudicitiam, ambitionem, ſuperbiam, auaritiam, aliosque vitæ humanæ morbos ex animis euellant, & in eorum locum contrarias Virtutes inferant, Temperantiam, Caſtitatem, humilitatem, Liberalitatem, Patientiam, Rerum mundanarum contemptum. Sine quibus virtutibus, ſi qui ſæpius hanc ſacram communionem frequentant, hypocriſis eſt non pietas. Vide Bernard. Per hoc inquit, homo manſuetior efficitur ad correptionem, Patientior ad laborem, Ardentior ad amorem, ſagacior ad cautelam, ad Obedientiam promptior, Ad gratiarum actionem deuotior. Vt non*

immerito hoc V. Sacramentum Euchariſtia, hoc eſt, bona gratia, Vel gratiarum actio nuncupetur, quod in eo ſcilicet omnis bonæ gratiæ theſaurus nobis communicetur. Atque ob id Deo maximas gratias ex toto corde agere debeamus.

Quarto. *Per dignam Corporis Chriſti ſumptionem ſic incorporamur (vt ita dixerim) adiungimurq́; capiti noſtro Chriſto, vt vnà cum eo ipſo conſtituamus corpus, vt ille maneat in nobis, & nos viciſsim in illo. Sic enim, inquit Ioan. 6. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo. Quod, vt plenius intelligatur, repetam.*

Hoc igitur certò ſciamus omnes Chriſtum dignè ſumentes ipſi ita incorporari & vnum cum eo fieri, vt Chriſtus eorum infirmitates in ſe ipſe transferat, & vnà cum ijs ſuſtineat & compatiatur. Et ipſius viciſsim Chriſti merita ipſorum fiant, Quo fit vt iam nihil ipſe Satan, Peccatum, Mors, & Inferi, ipſi queant incommodare. Vt etiam ob hanc cauſſam hoc Sacramentũ Græcè Synaxis, hoc eſt, Communio Latinè dicatur, quod efficaciter faciat, arctiſsimã Chriſti, & omnium credentium coniunctionẽ. Vt B. Paulus 1. Corinth. 10. luculenter conteſtatur, quæ res debet homini ſummo eſſe ſolatio.

Quinto, *Per dignam S. Euchariſtiæ ſumptionem aſſociamur etiam myſtico Chriſti corpori, hoc eſt, omnibus Sanctis & credentibus, vt illorum videlicet ſpiritualia beneficia ac merita nobis etiam fiant communia.*

munia, & Iure huius Communionis nobis cedant in bonum. Vnde B. Paulus, 1. Corinth. 10. Vnus, inquit, Panis, & vnũ corpus, multi ſumus, qui ex vno Pane participamus.

Sed iam hæc de crebræ Communionis fructibus hoc loco ſufficiant, præſertim cum de eiſdem rurſus acturi ſimus in Claſſe proxima. Ceterum cum vberrimos eius fructus neque hoc loco neque ſequenti pro dignitate paucis perſtringere verbis poſſimus, conſultum putauerim; vt quibus tam ſalutare pietatis ſtudium ac exercitium cordi futurum ſit, eos ipſos Scriptores conſulant, qui hæc ex profeſſo copioſè ſatis pertractarunt, & ex quibus hæc ipſa pleraque deprompſimus, præſertim Chriſtoph. Madridium cap. 7. libelli de frequenti vſu V. Sacramenti Euchariſtiæ, Thomam Kempiſium lib. 4. de Imitatione Chriſti, quem à frequentantibus hoc V. Sacramentum optarem ſæpe ac diligenter euolui.

Vt vero frequens S. Communionis vſus, & omnis Pietatis exercitium felicius procedat & quotidie maiores in eo progreſſus fiant, retinenda eſt etiam hac & ſequenti curia exercitatio illa ſuperiori Claſſe à nobis commendata, in meditationibus Vitæ ac Paſſionis Dominicæ, quæ Catechiſmis D. Petri Caniſij ab Antuerpianis typographis adiunctæ ſunt.

Ceterum cum Pietatis exercitiũ, nihil queat promoueri, niſi, vt ſuperioribus ordinibus etiam indicauimus, mala & Peccata ſtudioſè prius euitentur, &

illa præcipuè, quæ hanc ætatem conſequi & infeſtare præ cæteris conſueuerunt, operæprecium arbitramur aliquid hoc loco ea de re adijcere.

Vt igitur Peccata quæ Adoleſcentiam maximè vrgere ſoleant facilius euitentur, cauendæ ſunt & intercipiendæ omnes delinquendi occaſiones, & inter has Otium præcipuè ſeu Deſidia, & omnis praua Societas Adoleſcētiæ, peſtes longè omniū pernicioſiſſimæ.

Otium *ſiquidem vitiorum omnium fomentū eſt, & (vt ait D. Bernardus, nouerca Virtutū, quæ multis obſcœnis ſæpe & pernicioſis cogitationibus viam aperit, vnde fit vt eius fere comes ſit Libido ac Voluptas, quæ mentem hominis otioſam ſtatim præoccupat, occupatam paulatim peruertit, atque ab omni pietatis ſtudio longiſſimè abducit, Otium mentis vulnera, per Pænitentiam iam ſemel probè curata, refricat interdum ac renouat, dum vt ait Gregorius ille Magnus de geſtis præteritis ad memoriam reducit. Audita quondam verba indecenter cogitationi reſonat, & ſi qua dudum turpiter acta ſunt, eorum ſpecies oculis cordis exponit, vt quem de præſentibus non valet inquinare, de malis tranſactis violet.*

Vt igitur nulla ſunt validiora & nocentiora arma Diaboli quam Otium & Segnities: ita nihil eiuſdem vires perinde debilitat, quam Studium ſeu operis honeſti perpetua occupatio, quæ non ſinit illecebroſas cogitationes in animum irrepere: Aut ſi quas forte inuenerit irrepſiſſe, eas ilico repellit, ac procul à foribus

bus eliminat, vt notatu ſit dignum quod B. ait Hieronymus. Non facile capi à Diabolo, qui bono vacat exercitio.

Cum vero inter Occupationes multum ſit diuerſitatis ac diſcriminis, curandū eſt vt hæ tales exiſtant, quæ ipſæ quoque ad ſtudia Virtutum excitent & adhortentur. Vt igitur hac Claſſe Epiſtolæ vel Carminis materiam de Septem Virtutibus quæ vitijs capitalibus apponuntur; Vel de tribus generibus bonorum Operum ſæpe petendam admonuimus, ita velimus hoc exercitium ab omnibus huius ordinis diſcipulis bene retineri.

Alterum vero quod videmus non paucis afferre multam peccandi occaſionem eſt mala Societas, malorum conſortium & conſuetudo, quæ veluti morbus quiſpiam ad vicinum ſerpit contagio, eumque vt peſtis quædam inficit, vt vel experientia diſcamus talem quemq; euadere quales ſunt illi, quibus cum multum verſatur. Vt enim Torpedinem piſcem nocere aiunt contactu, dum etiam virus ſuum ab ære per linum & arundinis internodia ad piſcatoris manum tranſmittit: ſic nocent & improbi ſodales, & quaſi venenum tibi inſpirabunt ſi quid commercij cum illis habueris, & Salomonis Regis omnium ſapientiſſimi verbum eſt, Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.

Qui igitur ad Virtutem & honeſtatem eſt educandus, amuſorum omnium & improborum adoleſcētum

conſortia omni quo queat ſtudio deuitabit: iungetque ſe probis & doctis ſodalibus, quorũ conſuetudine euadat quotidie ipſe tum melior tum doctior.

In primis vero duo hominum genera, non ſecus ac certam animæ peſtem euitabit, Omnes videlicet hæreſeos, quoquo nomine vel ſolum ſuſpectos. Quod & B. Paulus admonet, Hæreticum, inquit, hominem poſt vnam aut alteram correptionem deuita. Deinde qui puellarum amoribus implicantur, quorum conſuetudinem qui tempori non euitauerit, eiuſmodi quoq; malis imbuetur, quæ ipſum non à ſtudijs ſolum; ſed etiam ab omni morum honeſtate auocabunt. Arceantur igitur & à puellarum choreis, & ab omni earum familiaritate, luſu, ac colloquio.

Ad perpetuam vero vitæ Caſtitatem conſeruandam, vtiles apprimè, Immo neceſſariæ ſunt in hoc perpetuo videlicet virtutum & vitiorum conflictu ardentes & aſſiduæ Precationes; ſine quibus nec Caſtitas ipſa illibata, & integra conſeruari poterit, nec quidquam eorum quæ conferunt ad Pietatem verè poterit poſſideri.

Immo vt verbis hic vtar B. Chryſoſt. qui Orationis vtilitatem ac neceſſitatem, luculenter ſcriptis demandauit, Quemadmodum ciuitas quæ muris cincta non eſt, facile venit in poteſtatem hoſtium, propterea quod prorſus abſit, quo fuerat hoſtium incurſus arcendus; Sic animam non munitam Precibus, Diabolus facile in ſuam redigit ditionem, nec magno

negocio omni ſcelerum genere implet.

Adſit igitur Precatio cum ſtudio diligentiq́ue lectione, aut certè pijs quibuſdam actionibus coniuncta, quam vtilem eſſe vel ethnici quoque aduerterunt, à quibus eſt illud, cuius ſuperius meminimus. Manum admouenti ſunt vocanda numina.

Quamobrem vbi Adoleſcentes iam probè cognorint, quantum poßint piæ Precationes, quantumq́ue inter Deum & homines coniunctionem concilient: incitandi ſunt etiam & aſſuefaciendi, vt Deum patrem luminum meminerint ſibi quotidie feruenter eſſe inuocandum, vt impartiatur ipſis ſpiritus ſui ſcintillulam aliquam, quæ cor ipſorum purificet, illuſtret, accendat denique & inflammet, vt ſic animus reddatur ipſis placidus, manſuetus, beneuolus, humilis, & à curioſitate, faſtu, & cõtentione alienus; Talis enim ſalutaris doctrinæ capax eſt, ac donis cæleſtibus percipiendis idoneus.

At quoniam vis & efficacia Precum in ipſo ſpiritus feruore & mentis attentione conſiſtit, doceantur adoleſcentes Preces ſuas animo attento perorare, non ore tantum aut labiorum ſtrepitu. Vt vero omnes inutiles cogitationes, quæ orationis quietem interturbãt, facilius queant à mente excludere, conſiderabunt oraturi Magnitudinem, Potentiam, & Maieſtatem eius quem alloquuntur; Tum quoties & quam grauiter hunc ipſum Peccatis ſuis offenderint.

Porro vt lectio tollat Orationis tædium, & mole-

ſtiam eius ſuaui quaſi condimento mitiget, indicabimus libros aliquot quos in hunc vſum vtiliter exiſtimem comparandos, quorum videlicet lectione pueriles animi, à ſtudio rerum caducarum longius abducantur, & velut è terra in cælum ſubuecti accendantur & inflammentur ad conſideranda & expetenda cæleſtia. In hoc igitur genere ſunt libri aliquot ſuperiorum Claßium, in primis Silua piorum Carminũ Leuini Brechti annis ſuperioribus excuſa Louanij.

Exercitia pia D. Nicolai Eſchij excuſa Antuerpiæ à Plantino.

Libellus Thomæ Kempiſij de Imitatione Chriſti.

Libellus Ioan. Thauleri de Paßione Domini.

Hiſtoria Barlaam & Ioſaphat per Ioan. Damaſcenum, excuſa à Ioan. Bellero in 16.

Conciones ſacræ Adami Saſboldi Delphenſis excuſæ ab eodem in eadem forma.

CLAS-

CLASSIS I.

Summa Doctrinæ & Praxios, Claſsis I.

- **Chriſtianæ Pietatis**
  - **Doctrina**
    - Latini
      - Vincentius Lirinenſis de antiquitate Fidei.
      - Officia B. Ambroſii.
      - Lactanti aliquid.
      - Aliquis de ceremoniis Miſſæ.
    - Græci
      - Baſilius.
      - Chryſoſtomus.
      - Nazanzenus.
    - Circunferendam ſemper aduerſus Peccata Panopliam, vt ſunt
      - Oratio cum Ieiunio & Eleēmoſyna.
      - Sacræ Scripturæ lectio & Meditatio.
      - Crebra Confeſſio & S. Communio.
      - Aſſiduum veræ Pietatis exercitiū.
    - Docere ad quem finem omnes omnium actiones referri debeant.
    - Docere in quo conſiſtat vera hominis Beatitudo.
    - Docere quæ vera ſit hominis Sapientia.
    - Docere & ſæpe repetere bonorū Operū genera, & reliqua quæ ſequūtur in Summa Doctrinę Chriſtianę.
    - Docere quorum librorum lectione ſeipſos ad Pietatem excitent.
    - Docere quæ afferant Adoleſcenti maximum ſalutis periculum.
  - **Praxis**
    - Exercere quæ in libris ſuperiorib. ſeu Latinis, ſeu Græcis tradita ſunt.
    - Circunferre ſemper ſalutarem aduerſus Peccata Panopliam.
    - Referre omnia ad conſequendam æternam Beatitudinem.
    - Sectari ſemper veram Sapientiam.
    - Meminiſſe & exercere quæ docet poſterior pars Summæ Doct. Chriſt.
    - Excitare ſe ad Pietatis opera, lectione
      - Exercitiorū piorū D. Nicolai Eſchii.
      - Inſtitutionis beatæ vitæ Huberti Scutteputæi.
      - Inſtitutionis ſpiritualis D. Lud. Bloſii.
      - Inſtitutionis vitę Chriſtianę D. Florentii Batavi.
      - Homiliarum Adami Saſboldi.
      - Concionū ſacrarum Io. Hoſmeſteri.
      - Libelli Confeſſionum B. Auguſtini.
      - Siluæ Carminum Leuini Brechti.
      - Epiſtolarum Indicarū & Iapanicarū.
    - Vitare diligēter Voluptates Carnis & omnes Hæreſes.

Diebus feſtis, *huic primæ & ſummæ Claſſi prælegetur vtiliter libellus verè aureus Vincentij Lirinenſis de antiquitate & veritate Fidei aduerſus profanas omnium hæreſeon nouationes, cuius lectio non vtilis modo fuerit; ſed hac tempeſtate omnibus etiam neceſſaria: non modo Theologis ſed etiam Iuriſperitis & Medicis, omniq́ue & conditioni & ætati.*

Libelli adhæc Officiorum S. Ambroſij tanta eſt vtilitas, vt eius M. T. Cicero aſſecutus vix vmbrã videatur.

In Græcis explicari poterit huic Claſſi Concio D. Baſilij ad Adoleſcẽtes, quomodo ex libris Æthnicorũ vtilitas capienda ſit, Vel aliquid Nazanzeni, vt Oratio qua Sanctorum aliquem celebrat.

Vtile etiam fuerit prælegere pueris libellum aliquem de Sacrificij Miſſæ ceremonijs ac ritibus, qualis eſt illa ceremoniarum Miſſæ declaratio Michaëlis Epiſcopi Merſburgenſis, quæ adijcitur eiuſdem paraphraſticæ explicationi Sacri Canonis Miſſæ.

Atque hæc de libris prælegendis, nunc de Exercitatione quoque nobis agendum eſt. Iam puerum eò deduximus vt ephœbiam egreſſus ex pueritia ad Adoleſcentiam tranſierit, ætatem videlicet in primis lubricam, & quæ velut in biuio Virtutum & Vitiorum conſiſtat, vt leui momento huc atque illuc impelli poſſit; quam quò longius ingreditur, eo ſe acrius ſentiet, ad mundi vanitatẽ, carnis illecebras, ceteraſque animorum corruptelas ſolicitari, idq́; adeo nõnunquam,

veriſ

vt niſi ſalutari doctrina probè inſtructus, pijs ſanctiſq́; actionibus aduerſus Mundi, Carnis, & Dæmonis inſultus ſtrenuè & continenter affligat, vix queat illæſus, tectoque, quod dicunt, latere effugere.

Quamobrem peropus nunc eſt, vt adoleſcens iam quaſi periculoſam ingreſſus militiam, præter Doctrinam Fidei (quam nunc, quantum huic ætati ſuffecerit tenere debet, aut ſi quid deſideretur, id ſuppleant Conciones Catechiſticæ Mich. Merſburgenſis, aut Cōfeſſio Polonica, opus pium & eruditum) continuè ſe exercitet pijs laboribus & litterarum Virtutumq́ue ſtudijs. Atque vel in primis vt ad hæc ſtudia mentem afferat à vitiorum affectibus bene purgatam, ac religioſo quodam Timore Dei præditam: Adeò verum eſt, quod Rex ille oraculo Dei ſapientiſſimus iudicatus dixit: In animam maleuolam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito Peccatis.

Eodem ſpectat, quod idem aſſerit, Principium ſapientiæ Timor Domini. *Etenim vbi Dei Timor locum non habet, neceſſe eſt Faſtum, contumaciam, aliorum contemptum, inobedientiam, ſuperbiam, mendacia, rixas, contentiones, pugnas: Immo vniuerſas Mundi, & Carnis cupiditates Regnum obtinere.*

Aduerſus hæc igitur omnia aſſiduè dimicandum Verbo Dei, & aſſidua piorum librorum lectione & meditatione, Feruentiq́ue ſtudio & amore Pietatis. Adhæc ſanctis & continuis Precationibus, Ieiunio

præterea & Abſtinentia, de qua, vt etiam de Eleë-moſyna diximus in Claſſe tertia, quæ in Secunda & in hac prima Claſſe debent ſubinde renouari, de Oratione vero diximus ordine ſecundo & alijs quibuſdam ſuperioribus. De lectione quoque Scripturæ ſacræ ſuperius ſæpius ſententiã noſtram indicauimus, quibus omnibus hoc tantum adijcimus, nihil valentius diſcutere fomenta vitiorum, nihil perinde mentem à Mundi & Carnis illecebris auocare, nihil Chriſti militem aduerſus hoſtium inſultus magis inſtruere, quam ardens Oratio, Diligens ſacræ Scripturæ lectio meditatioq́ue, & aßiduum Pietatis exercitium, quemadmodum id curijs ſuperioribus ſatis opinor luculentè iam commonſtrauimus.

Huiuſmodi igitur Chriſtianæ militiæ panopliam ſpiritalem adminiſtrabit quotidie tironibus ſuis Inſtitutor, quibus illos ad pugnam inſtruat, & ad congreſſum cum hoſtibus claßicum canat, robuſtiores collaudabit, & victoribus aliquid ceu præmium decernat, Ceſſantes & deſides exhortabitur, Meticuloſis vires, robur, & animum addet, laborantibus adſit ſubſidio. Ipſe ſit anteſignanus, ipſe agonotheta, frequenter in tribuni & ducis militiæ induſtria, arte, peritia & indefeſſo labore tota ſteterit belli victoria.

Admonendi ſunt etiam crebrò tirones, vt eorum meminerint quæ à nobis proximis Claßibus ſuperioribus dicta ſunt, de crebræ Confeßionis & Communionis multiplici fructu, eaq́ue ne excidant, debent fre-

quenter repeti, ac quod in Confeſsionis materia fortaſſe ab aliquo deſiderabitur, id ſuppleat Ioã. Polanci Directorium Confeſsionis, aut ipſa Confeſsionis Methodus, de qua ſupra.

Ad crebram vero S. Euchariſtiæ ſumptionem piorum mentibus magis commendandam, aliquid hoc loco adijciemus, ac primùm quidem nihil omnino dubitandum eſt pios ac deuotos in ſeipſis experiri ſaluberrimum hoc S. Euchariſtiæ ſacramẽtum longè maiorem vtilitatem & conſolationem afferre, quam vt à quoquam verbis id queat explicari. Neque enim hoc opus linguæ eſt; ſed fidelis ac deuotæ animæ, guſtare & videre quam ſuauis ſit Dominus.

Vnde ſi quem roges ex iſtis ſæpius deuotè communicantibus, ecquid fructus percipiat ex illa frequenti communione, reſpondebit haud dubiè ſe effectus ex ea ſentire plurimum admirandos.

Vt poteſe à multis vitijs expeditum, quibus ante Communionis frequentationem implicatus tenebatur.

Ad hæc ſe iam ſentire maiores vires contra Dæmonis, Mundi, & Carnis impetus.

Maiorem præterea in Deũ & proximos charitatem, Vehementiusq; ad cuſtodiendũ Præcepta Dei ſtudiũ. Denique maiorem rerum terrenarum contemptum, & quod conſequitur, ardentius ad rerum cæleſtium inueſtigationem animæ deſiderium.

Iam vero ſi dubites, num frequẽter communicantes, id agant ex vera deuotione, tollet hũc ſcrupulum,

quod tales ſæpe videamus, multis cum lacrymis ſuſpirijsq́ue accedere; cum ecõtrario qui ſemel in anno tantum communicant, frigidè ſæpe ac ſine guſtu magisq́; ex conſuetudine ac præcepto ſemel in anno communicandi, quam ex vero cordis affectu & amore in Chriſtum communicare videantur.

Cum igitur clarè perſpiciamus quam immẽſa gratiarum dona ex digna frequentiq́ue V. Sacramenti ſumptione percipiantur, id ſedulo agendum, ne his maximis & cæleſtibus donis imprudẽter ſe priuent adoleſcentes, qui ſcilicet ad ea percipienda facile parati eſſe poßint.

Parati vero ac etiam digni hac menſa cæleſti iudicandi ſunt omnes, quotquot poſt diligentem Peccatorum ſuorum inquiſitionem, ipſorumq́ue deteſtationem, cum melioris vitæ propoſito veram ac integram peccatorum Confeßionem coram proprio Sacerdote fecerint; Nec de veritate Corporis Chriſti, aliter quam Catholica docet Eccleſia ſentiunt. Atque hæc ea eſt probatio, quam Apoſtolus requirit cũ ait. Probet autem ſeipſum homo &c. 1. *Corinth.* 11.

Imperfectio autem Virtutum & minor Deuotio non excludunt nec impediunt hanc, vt ſic dicam, dignitatem, nec quemquam ad huius Sacramenti ſumptionem reddunt indignum, vt quæ ipſa per hanc ſumptionem ſæpe vel donantur, vel certè augentur. Quæ Virtutum incrementa, etſi non ſtatim à nobis ſentiuntur, non tamen ea minus à Deo tribui exiſti-

memus: Nam quemadmodum cibus ipſe corporalis nos alit, etiam ſi id non ſentiamus; Ita Euchariſtia multo gratiæ incremento animam corroborat nobis quandoq́ue non ſentientibus.

Hactenus ſatis opinor multa de multiplici & ſalutari ſacræ Communionis fructu: Nunc aliquot adijciemus S. Patrum teſtimonia de frequenti S. Communionis vſu vel ſumptione.

B. Aug. de Eccl. dogmatibus. Quotidie Communionem Euchariſtiæ percipere, nec laudo, inquit, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus cõmunicandum ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine peccandi affectu ſit.

Bernardus. Qui vulnus habet medicinam quærit. Vulnus habemus dum ſub Peccato ſumus, Medicina eſt ſacramentum, Quotidie accipe, quotidie curaberis.

Bonauentura. Licet quandoq́ue tepidè, tamen confidens de Miſericordia Dei fiducialiter accedat, Quod ſi ſe indignum reputat, cogitet, quod tanto magis eget, & neceſſe habeat requirere medicum, quanto magis ſenſerit ſe ægrotum.

Gerſon. Stultus illius timor eſt, & reuerentia minus prudens qui ad Dominum ſe vocantem & inuitantẽ non accedat, qui illi non credit, ſed procraſtinat.

Dicit vero illos, qui nolunt ſumere Euchariſtiam, niſi ſint actu deuoti ac feruidi, ſimiles eſſe frigidis, qui ad ignem accedere nolunt, niſi prius ſint calidi, &, Infirmis, qui nolunt adire medicos, niſi prius ſint ſani.

Sed iam in recenſendis crebræ Communionis fructibus, eò prolixiores ſumus, quod hæc Pietatis exercitatio ſit omnium digniſſima, præſtantiſſima & vtiliſſima, vt ne hæc ipſa, quantumuis multa, pro rei ipſius dignitate vlla ex parte exiſtimemus eſſe ſatis.

Iam vt adoleſcentes, ſtudiorũ ſuorum labores omnes ad ſalutarem finem ac veluti ſcopum referre diſcant, viſum eſt ea de re nonnihil hoc loco adijcere.

Gentilis Eruditio (vt ait Socrates Eccleſ. Hiſtoriæ. lib. 3. cap. 15.) neque à Chriſto, neque ab ipſius Diſcipulis, vel, vt Diuinitus inſtituta probata eſt; Vel, vt noxia, reiecta eſt, Eruditionis *igitur, vt & diuitiarum aliarumque multarum rerum laus vel vituperatio ab earum dependet vſu. Quapropter vt ea quæ nobis ac alijs ad æternam beatitudinem viam debebat commonſtrare, occaſionẽ afferat æternæ damnationis, etiam atque etiam litterarum ac philoſophiæ candidatis videndum eſt ne tam præclaro, & Reip. tam vtili ac neceſſario Dei dono, in ſui vnquam, vel aliorum perniciem abutantur.*

Conſiderandum inquam diligenter hunc artium omnium liberalium verum eſſe vſum, vt earum adminiculo Reſp. rectè gubernetur Chriſtiana, tum etiã, vt rerum ſingularum cauſſæ ac naturæ, queant perueſtigari. Deinde vt per eas, & ad noſtri ipſius, & ad Dei Creatoris ac Seruatoris noſtri notitiam commodius ac certius perueniamus.

Adhæc vt earum adminiculo verum à falſo diſcerna-

ſcernatur, Veritas ipſa retineatur & propugnetur; At vero falſitas & errores omnes ac hæreſes demonſtrentur per eas, & redarguantur.

Quapropter Veteres illi orthodoxi & ſancti Patres tum Latini, tum Græci, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Baſilius, Chryſoſtomus, Nazanz nus, & alij, vt hæreticorum fraudes diſſerendi peritia copiaque, & vberitate dicendi, hoc eſt, iiſdem artibus, quibus conſtructæ erant, diſſoluere poſſent, permultum temporis ac laboris huiuſmodi ſtudijs tribuerūt. Intelligentes nimirum, ſine linguarum & artium liberalium præſidio, nec hæreticos efficaciter redargui, nec imperitos rectè doceri, nec aut publicam tranquillitatem retineri, aut etiam homines ipſos in officio contineri poſſe.

Vt igitur Eruditione cum Virtute coniuncta, nihil rebus humanis vtilius, vel magis neceſſarium, nihilque præſtantius, nihil glorioſius, vel laudabilius: Ita è contrario nihil funeſtius, nihil pernicioſius & exitialius, ſi cui contigerit Eruditio à Virtute ſeiuncta.

Nam quod Quintilianus ait dè futuro oratore etiam ad Chriſtiani populi doctores pertinere poteſt, Verum, inquit cap. 1. lib. 12. ſi vis illa dicendi malitiam inſtruxerit, nihil eſt publicis priuatisque rebus pernicioſius Eloquentia: nosque ipſi qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati ſumus, peſſimè meremur de rebus humanis, ſi Latroni

compare-

comparemus hæc arma, non militi. Mutos naſci & egere omni ratione ſatius fuiſſet, quam prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere.

Quæ ſanè egregia Fabij ſententia ad omnes artes & linguas ſimiliter referenda eſt, vt intelligatur ſcilicet, quod

Omnis artiũ cognitio referenda, ad {
perpetuã Dei laudẽ & gloriam.
aliorum hominum vtilitatem.
Reip. Chriſtianæ ſalutem.
Religionis Catholicæ defenſionẽ.
}

Ex Eloquentia profectò maximos & vberrimos fructus percipient, qui eam ad Dei Opt. Max. cultum ac venerationem diligentiſsimè contulerint. Cui enim potius Eloquentiæ ſtudia conſecrentur, quam illi, qui vt hominis decus Ingenium, ſic ingenij lumen eſſe voluit Eloquentiam?

Vnde B. Auguſtinus lib. 1. Confeſsionum, errorem ſuum fatetur, quod litteris ſacris, rerumque Diuinarum ſcientiæ, artes profanas & poëtarum fabulas aliquando prætulerit, & his ſolum delectatus, illas contempſerit. Matrem ſuam prædicat quod ipſum philoſophiæ, & bonis artibus, vt ad cognitionem veri Dei perueniret, dare operam coëgerit.

Nec eos immerito caſtigat B. Chryſoſtomus hom. 60. in Matth. qui in liberalium ſcientiarum ſtudijs tantum gloriæ vel pecuniæ & quæſtus conſiderationem habent.

Eodem pertinet, quod Baſilius ille Magnus de-

ploret

ploret ſuo tempore neglectis ſacris litteris, ſolam philoſophiam tractari, & mũdanam ſapientiam primas ferre. Epiſt. 61.

Hoc igitur agamus, hoc curemus, in hoc conatus, cogitationeſq́ue noſtræ ſemper euigilẽt, vt tum Eloquentiæ, tum ceterarum artium ſtudia Parenti vitæ noſtræ deſeruiant.

Hæc hactenus tam multa eo produxi, vt liberaliũ artium ſtudioſis conſtare poßit, quem ſtudiorum ſuorum ſcopum ſemper ſpectare debeant, eoque ni fallor ſatis apertè iam commonſtrato, adoleſcentes omnes ſuos labores, vigilias ac ſtudia in hunc veluti ſcopum dirigant.

Primùm vt iuſtè, piè, & ſanctè viuendo Dei honorem & gloriam promoueant, qui primus ac præcipuus actionum noſtrarum omnium finis eſſe debet.

Deinde, vt ſuam ac proximorum ſalutem ſedulo procurent. Ad quod cum alia, tum illud Siracidæ axioma debet omnes vehemẽter incitare. Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo. *Quin & Chriſtiana Charitas hoc requirit, & doctrina Euangelica vrgere nos debet, vt quãtum animo conniti, viribuſq́ue contendere quiſque poteſt, tantum proſit Societati & Reip. Chriſtianæ. Chriſtus enim non vult talenta ſingulis concredita defodi in terram, vbi neque ipſi, neque alijs proſint, ſed vult ea ad Dei Patris ſui gloriam, & Proximorum ſalutem diligenter expendi. Quod quiſquis fecerit audiet à Domino in extremo*

illo Iudicij die: Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in Gaudium Domini tui.

Cum vero omnes trahamur ad vitæ beatæ appetitionẽ, diligẽter & in hac & in Claſſib. ſuperiorib. inſtitui decet Adoleſcentes, in quo hominis illa Beatitudo conſiſtat; Docendi ſunt igitur Beatitudinem hominis in hoc mundo non metiri cœco vulgi iudicio, huius nimirum vitæ commodis, honoribus, opibus, aut voluptatibus, Immo ne ipſa quidem Virtute ingenio proprio acquiſita. Sed veram Beatitudinẽ eſſe ſciant Deum ipſum noſſe, timere, ac colere, In eius lege verſari die ac nocte, Cæleſtia ſemper ac vbique quærere, humana omnia, & ad quorum cõſpectum vulgus ſtupet, deſpicere, contemnere, & pro nihilo putare. Quod qui fecerint Immortalitatem ipſam pro mercede laboris accipient, vt iam Angelicis ſpiritibus ſimiles ſummo Patri ac Deo in omne æuũ perpetuo ſeruiãt.

Hæc veræ ac Chriſtianæ Beatitudinis ſumma eſt, quam ipſe nos docuit Dei filius, quãdo illos ipſos Beatos appellauit, quibus Paupertas, Luctus, Manſuetudo, Miſericordia, Benignitas cordi eſſent, quod hæc ipſa ſcilicet ad æternam illam cæleſtemq́ue Beatitudinem nos dirigant, promoueant, ac perducant. Cæcos igitur quiſque hos eſſe ſciat, falliq́ue iudicio, qui in honoribus, opibus, latifundijs, magnificis ædificijs, & bene inſtructa ſupellectile, Quiq́ue in otio ac mollibus plumis, Denique qui in Corporis voluptatibus & id

genus ceteris rebus, caducis ſcilicet, ludibrioq́ue fortunæ ſemper expoſitis Beatitudinem hominis conſtituerunt.

Cum igitur error omnis in hominum mentibus naſcatur ex cæca quadam Iudiciorum deprauatione; In primis fuerit neceſſarium his de rebus Iuuentutem frequenter admonere, vt intelligat & credat, hanc demum veram eſſe Sapientiam, qua de rebus omnibus incorruptè iudicamus, talem ſcilicet rem vnamquamq; æſtimãtes, qualis ea ipſa eſt; Quo illud primum conſequantur ne vilia ſectentur tamquam precioſa, & ne precioſa vt vilia reijciant. Néue laudanda vituperent, vel laudent vituperanda.

Nihil eſt profectò in vita humana exitialius illa Iudiciorum corruptione, cum res quæque tales non æſtimantur, quales re vera ſunt. Perſuadere igitur ſibi debent adoleſcentes corruptas & pernicioſas fere eſſe ipſius vulgi opiniones, magnumq́ue erroris magiſtrum ipſum eſſe populum ſtultiſſimè de quibusq́ue rebus frequentiſſime iudicantem. Vt veræ Sapientiæ ſtudioſo nihil perinde laborandũ eſſe videatur, quam vt ab opinione & ſenſu populari quam longiſſimê abſit, verasq́; iam inde à puero de rebus ſingulis opiniones imbibat, quæ ſimul cum ipſa ætate in eo adoleſcant. Sic certè futurũ eſt vt in omnibus ea demum cupiat, ea ſectetur, & apprehendat, quæ recta ſunt, & vera ac ſolida; Fugiat verò quæ praua, falſa, aut fucata ſunt.

Porro cum in non paucis rebus alijs corrupta ſint vulgi iudicia, tum omniũ maximè de rebus iſtis fortunæ arbitrio expoſitis, Diuitijs, Honoribus, Voluptatibus, De nobilitate, Potẽtia, atque id genus alijs, quæ ſi in re vera bonis & expetendis poſuerimus, ſic de ijs erit nobis ſtatuendum.

Principio vt Diuitias appellemus, ijs rebus non carere, quæ ad vitam tuendam ſint neceſſaria.

Honorem verum exiſtimemus venerationem ob ipſam Virtutem.

Voluptatem puram ac ſolidam, delectationem quæ capitur ex ijs quæ ad animum ſpectant.

Nobilitatem à bonis prognatum præbere ſe ipſorum ſimiles.

Potentiam ac Regnum, multos habere quibus rectè conſulas.

Iam ipſam Eruditionem tantis laboribus vigilijsq́ue partam, ſciant eſſe ſuperuacaneam, niſi per eam & vitium cognitum facilius fugiamus, & cognitam virtutem perſequamur & teneamus.

Sic Vitam hanc noſtram diſcant eſſe Peregrinationem quandam multis vndiq́ue caſibus obnoxiam, cuiq́ue nulla non hora immineat finis, qui leuiſſimis de cauſſis poſſit accedere.

Præterea & illud ponendum frequenter ob oculos, quo quis in hac peregrinatione expeditior fuerit & paucioribus ſarcinis implicitus, hoc leuius ac iucũdius hoc iter peregrinationis ſuæ conficit. Atque eam eſſe

humani corporis naturam, vt pauciſsimis egeat, adeo quidem, vt ſi quis penitius hoc animaduerterit, eos haud dubiè inſaniæ damnet, qui tantis laboribus tam multa parare ſtudeant, cum nobis tam paucis ſit opus.

Diuitiæ, Poſſeſsiones & Veſtimenta in vſum tantum parantur, quem non adiuuant immenſæ opes, ſed opprimunt, vt nauem ingentia onera; Nec Aurum ſi non vtare, à coeno differet, niſi quod magis angit eius cuſtodia, & efficit, vt dum huic vni ſtudes, ea negligas, quæ maximè ſunt homini curanda.

Culta veſtimenta, quid aliud ſunt quàm Superbiæ inſtrumenta? Vtile indumentum excogitauit neceſsitas, Precioſum luxus, Elegans vanitas. Suborta iam eſt in veſtitu contentio, quæ multa docuit ſuperuacanea & damnoſa, dum homines ex eo, quod infirmitatem noſtram arguit, etiam honorem captant.

Ita diuitiarum pars maxima, Ædificia, Supellex numeroſa & opulenta, Gemmæ, Aurum, Argentum, Ornamentorum omne genus, ſpectantium oculis magis comparantur & exponuntur, quàm poſsidentium vſibus.

Iam quid aliud in humano corpore eſt forma quã cuticula bene colorata; quæ, vt floſculi, celeriter marceſcit, vt vel vna febricula formam, vires, robur & corporis agilitatem ſæpenumero concutiat, deformet, & debilitet.

Et quæ ab hominibus vel maximè omnium appetuntur, Honores & Diuitiæ, quid aliud ſunt, quàm

ſplendida quædã miſeria, & perſonata felicitas? Quid ipſæ Corporis voluptates, quàm ſunt viles & pecudinæ, quot quantaq́; mala nobis accerſunt? Corpori ipſi frequenter morbos, Animo pænitẽtiam, Ingenio hebetudinem, Menti coecitatem, Dedecus adhæc & ignominiam, & expertes nunquam amaritudinis.

Et Corpus ipſum quo curatius fuerit, hoc animus fere neglectior: quòq́ue mollius habetũr, hoc acrius menti reluctatur, & ſæpe vt equus delicatè paſtus, ſeſſorem ipſum excutit.

Sed iam longius rapior, quam ſtatueram, qui plura de his volet legere, conſulat Io. Lod. Viuis Introductionem ad Sapientiam, ex qua pleraque huiuſmodi mutuati ſumus. Item Carmen Leuini Brechti de præpoſtera mortalium ſolicitudine & metu.

Porro quæ tradit poſterior pars Summæ doctrinæ Chriſtianæ, de tribus bonorum operum generibus, de Operibus Miſericordiæ, de Donis ac fructibus Spiritusſancti, de octo Beatitudinibus, de Conſilijs Euangelicis, & Quatuor hominis Nouiſſimis, diligenti enarratione, crebra repetitione, multaq́ue ac longa in ijs exercitatione ſunt pueris diligenter inculcanda; Frequenter ex Octo beatitudinibus, ex Conſilijs Euangelicis, & Quatuor Nouiſſimis dictabitur illis Epiſtolæ, Carminis, vel Declamationis argumentum, qua ſtudiorum exercitatione multiplicem fructum conſequentur.

Vt iam etiam lectione priuata, pietatis ſtudium

magis promoueatur, comparare licebit eos potiſſimùm libros, qui mentē à rebus terrenis auocatam ad cæleſtium inueſtigationem vrgent ac promouent, quæque profectum ſpiritalem quam plurimùm adiuuant.

In his ſunt quæ primum fortaſſe locum obtinere in hoc genere debēt, Exercitia pia D. Nicolai Eſchij, quæ ad vitam perfectam aſpirantibus fuerint vtiliſſima. Item Inſtitutio ſpiritualis Ludouici Bloſij, In cuius lectione opus magna attentione, animoque collecto, & à curis huius ſeculi expedito. Libellus homiliarum Adami Saſboldi, quæ quod Louanij ad Clerum omnes habitæ & accommodatæ ſint, iuuenili ætati maximè conueniunt. Conciones ſacræ Ioan. Hofmeſteri à viris doctis commendātur. Libellus Confeſſionum beati Auguſtini à fluxis, vanis, & caducis his rebus, à philautia & ſui amore animum hominis potenter abducit. Leuinus Brechtus in Silua piorum Carminum, Omne (vt quidam ait) tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Epiſtolæ Indicæ & Iapanicæ excuſæ nuper Louanij ad piam mentis recreationē plurimùm conducunt.

Poſtremo iam illud, priuſquam his finem imponamus, non prætereundum hoc loco duxerim. Vt ſi quem diſcipulorum ex hac vel ſuperiori Claſſe contingat à parentibus in Academiam auocari, hunc Inſtitutor ipſius à ſe non dimittat, niſi prius diligenter admonitum, vt quæ rectè viuendi dogmata & inſtituta ab ipſo imbiberit, altius infigat memoriæ, eademque &

ſæpe recordetur, & ad eorum præſcriptum, velut ad amuſsim quandam vitam ſuam accommodet.

Nihil ſiquidem aut perparum profuerit multa ac præclara viuendi præcepta didiciſſe ac noſſe, niſi eadem quoque ad praxim & quotidianum exercitium applicentur, vt Ariſtotele Auctore, Calceum hunc fruſtra conſutum paratúmque dicimus, cuius non eſt vſus.

Poſtremò cum adoleſcentes iam velint nolint militiæ ſe dedere cogantur valde periculoſæ, in qua imperiti, inexercitati, aut inermes ab hoſtibus facile capiantur & cæſi concidant, adoleſcens iam dimittendus prudenter, & grauiter eſt admonendus vt in hac militia à duobus ipſi infeſtiſsimis hoſtibus omni quo queat ſtudio, perpetuò ſibi cauendũ exiſtimet, A Carnis videlicet voluptatibus; & ab hæreſibus falſiſque de fide perſuaſionibus.

Nam quod ad Carnis attinet voluptates, nullum certè eſt aliud malum, quod hanc ætatem prius impetat, quod acrius vrgeat, quod latius pateat, quodque plures in exitium trahat, quam hæc blanda libidinis peſtis, quæ nos Diuinum plaſma ad Dei imaginem & ſimilitudinem creatum, nõ modo pecudibus, ſed etiam ſuibus, canibusq́; & brutiſsimis brutorum animantibus æquat.

Hæc, præterquam quod ingenij acumen obtundit, quod mentis aciem hebetat, & quaſi pecudinam mentem inſerit, etiã ab omnibus honeſtis ſtudijs hominem

ſemel auocat, eumque quantus quãtus eſt totum cœno immergit, vt iam nihil niſi ſordidũ, ſpurcum, & abominabile cogitare libeat, adeoq́; excœcat eum nonnunquam malitia ipſius, vt longo peccandi vſu & libidine ebrius non videat aut curet quo ſe deijciat, modo animo ſuo faciat ſatis: vnde fit vt pudoris & caſtitatis habenis iam ſemel laxatis, in omnem ſenſim nequitiam ac turpitudinem prolabatur.

Quod ad hæreſim verò ſpectat, cauendum eſt omni vita, Primum ne quis legat vmquam hæreticorum libros, quod certè fieri nequit, ſine magno ſalutis periculo ac diſcrimine, præſertim cum mala facilius imbibantur, altiusq́; ac diutius menti inſideant quã bona.

Quin illud etiam ab hæreticorum librorũ lectione merito debet abſterrere, quod in Catalogo librorum iuſſu Pij Quarti Pontificis Max. nuper emiſſo, feriantur omnes anathemate, excommunicentur & à Catholicorum coetu ſegregentur ac proſcribantur, qui hæreticorum libros vel legunt, vel apud ſe depoſitos retinent.

Iam quod de Libris dicimus, etiam de hæreticis ipſis intelligamus oportet, eorum enim conſortium & familiarem congreſſum iubemur omnes deuitare; At quando in eorum ſocietatem contingat nos forte incidere, conenturq́ue nos præſtigijs ſuis à Catholica fide abducere, ſic ijs licebit reſpondere.

Ipſe certè ſequar Eccleſiam Catholicam.

Sacrosq́; oecumenicorum Conciliorum Canones.

Summorum Pontificum & Chriſtianorũ Imp. edicta.
Et ſapientiß. pijßimorumq́; Patrum reſponſa.

Ipſe eam Religionem & doctrinam profiteor, quæ ab ipſo Dei filio tradita, ab ipſius Apoſtolis propagata, & in omnes terras diſperſa eſt, quæq́ue purpureo multorum Martyrum ſanguine & eorundem prodigioſis operibus ſtabilita ac confirmata eſt, maloq́ue vel mortem oppetere cum Catholicis quàm cum hæreticis viuere & quantumuis ſapere.

Tres porro cauſſæ traduntur à quibuſdã ob quas hæreticos vitare oporteat.

I. Vt pudore affecti ab erroribus ſuis reſipiſcant. Vnde Apoſt. 2. Theſſ. vltimo, Si quis, inquit, nõ obedit verbo noſtro per Epiſtolã, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.

II. Quod bonos & ſimplices aut improuidos facile peruertant. Nam ſermo eorum, vt inquit idem Apoſtolus, ſerpit vt cancer.

III. Quod cum talibus verſari, talesq́; in Reip. retinere periculoſiſſimum ſemper extiterit, Nam videmus eos opulentiſſimis quibuſdam & celeberrimis Ciuitatibus, Prouincijs, ac Regionibus calamitates non paruas attuliſſe, quæ nunc ſerò cum Phrygibus ſapiunt, & ciuium ſuorum dementiam, ac magiſtratus negligentiam non ſine magnis querelis grauiter incuſant.

Inſtitutionum Scholaſticarum Finis.

AD CANDIDOS QVOSQVE ET BENEVOLOS SCHOLARVM MAGISTROS.

ROMA

ROgatus nuper ab amico quodã, vt hoc Scholarum negotium, quantum præſtare poſſem, in hac vrbe promouerem, non deſtiti nocte dieque cogitare, qua ratione ac modo iſtuc perficerem, aut certè voluntatem & animum declararem eius rei cupidiſſimum. Multa vero meditanti venit in mẽtem, quod Ariſtoteles ſcripſit in. Politicis: *Non facile permanere ciuitatem, quæ non ſit legibus & conſuetudinibus conſtituta*. Ita ipſe quoque exiſtimabam, Scholam nõ diu celebri in laude permanſuram, quæ idoneis & æquis legibus, quaſi ſeuera & præſenti quadam Pædagogia deſtituatur.

Nam omnis probata Iuuenilis ætatis educatio his tribus perficitur. Præceptis, Exemplis, & æquis Legibus. De Præceptis non eſt qui ambigat, cum à præcipiendo ipſi Doctores artium Præceptores appellantur. Cum vero ætas illa tenella ac rudis, quid pium honeſtumque ſit, non ſatis interdum à docente percipiat, & à via quæ ad honeſtum ducat facile aberret, opus eſt induſtrio & egregio ductore,

qui illuſtri vitæ exemplo præeat ac præluceat, cuius ductum cum in biuijs hæreret puer rectè ſequatur.

Poſtremo cum inuenias nonnullos, adeo aut torpidos, aut cōtumaces, vt nec rectè præcipientem audire, nec ducem præeuntem ſequi dignētur, Leges ac pœnas ſtatuendas quoque intelligimus, quarum formidine ignaui, refractarij, & improbi à malefactis terreantur: & Salomonis tum potius probanda ſententia: *Qui parcit virga, odit filium*, quam conſiliū illud Mitionis, *Pudore & liberalitate liberos retinere ſatius eſſe credo, quā metu.* Quid? quod boni etiam & indolis probæ, decretis legum commonefacti, vehementiſsimè incitentur, vt alacrius ad honeſta contendant.

Cum igitur Leges probis ſunt vtiles, Improbis vero neceſſariæ, exiſtimaui nō alienum à nobis fore, ſi his puerilium Inſtitutionum libris velut congiarij loco, certas quoq; leges adijcerem, non Cæſareas illas aut Pontificias, quas celebres docent Academiæ; ſed Scholarum, vt vocant, triuialium.

Ceterum cum non eædem leges omnibus conueniant Scholis, vt quæ accommodandæ ſint nationi, loco, numeroque, ætati, & ingenijs puerorum, nactus opera amicorum ex Italia, Germania, & noſtra hac Belgica multarum

legum tabulas, eaſdem, paucis interdũ immutatis, adiectis aut deciſis, his libris putaui adiungendas, vt velut ex magna ſilua leges hinc quilibet deſumat Scholæ ſuæ conuenientes.

Repeli præterea inter ſepoſitas ſchedas, dũ litterariam excutio ſupellectilem, nonnulla Spiritalis vitæ exercitia, quæ mihi obiter ea percurrenti, viſa ſunt nõ indigna, quæ adiuncta his libris ad promouendam Pietatem proferantur in publicũ ac diuulgentur, præſertim quod ad ea maximè cõferant, quibus tertio Inſtitutionũ libro admonuimus Iuuentutẽ frequenter & ſedulo eſſe exercendam.

Hæc autem omnia, qualiacunque ſunt, vobis, integerrimi viri, pro noſtro in Scholas & Scholarum Magiſtros beneuolo affectu, dedicanda exiſtimaui, confidens fore, vt vobis & Chriſtianæ pietatis ſtudioſis, hæc quantumuis puſilla, ipſa tamen commendaret vtilitas.

Veſtrarum nunc partium fuerit, ſedulã nauare operam, Primùm vt ex hac ampla Legum ſilua decerpantur quæ tũ ipſi loco ac Scholæ, tum diſcipulorum ætati, ingenio, ac moribus videbuntur maximè conuenire, eaque in ordinem ac certa aliquot capita reducta, aut ſingulis menſibus, aut, quo Coloniæ in Societatis, collegióque Coronarum vidi fieri, ſingulis hebdomadibus per Diſcipulum aliquem cura-

bitis prælegi. Quod etſi puerile videatur admonere, ad res maximas tamen euolumenti non parum conferet.

Deinde nō ſegnius arbitror vobis enitendũ vt illa Pietatis exercitia grādioribus ac ijs potiſsimũ qui in eodē vobiſcũ degũt cōtubernio, ad praxin & quotidianũ ipſorũ vſum paulatim accōmodentur, idq́; cũ amica potius ſuauitate & mãſuetudine, quam rigida aliqua ſeueritate.

Poſtremò, meminiſſe vos velim prouinciã vobis demandatam apprimè nobilem, & inſignem, Chriſto gratiſsimam, Reiq́; tam publicæ quam priuatæ ſummè neceſſariam, adeo vt ſecundum Epiſcopos & Paſtores nemo magnificentius de Rep. Chriſtiana mereatur, quã rudis pueritiæ Inſtitutores, ſi tenellis adhuc & in quemuis habitum ſequacibus animis mentem inſtillent Chriſto dignam.

Hæc enim ætas ſeges eſt, hæc ſilua Reip. quæ vt operariorũ manu excolitur, ita aliquãdo copioſum vel exiguum fructum producet. Et ipſe Chriſtus liberaliſsimus bonorũ operũ remunerator, ſi quid fortaſſe in laboris ſalario diminutum fuerit, id de ſuo penſabit abunde, Bene valete. E Gynæcco Thaborino, anno Chriſtianæ Salutis M. D. LXXIII. xx. Octobris.

Veſtri ſtudioſiſs. S. Verrepæus.

LEGES AC INSTITVTA EX COLLEGIO QVODAM ITALICO.

PRAEFATIO.

QVia omnis vera Sapientia à Deo procedit, qui eam animis puris libentius & liberalius infundit; prima & præcipua cura noſtrorum ſtudioſorũ conſiſtere debet, in conquirenda mundicie & puritate mentis: Deinde vt ſtudeant & docti euadant; Vt verò vtrumque ſtudioſus conſequatur, ſequentia documenta multum ad id conferent vtilitatis: Quamobrem vos exhortamur & rogamus in Domino, vt ea ſumma diligentia obſeruetis.

De ijs quæ ſpectant ad Religionem.

I. Cum Fides *omnis ædificij ſpiritualis ſit fundamentum, credant purè ac ſimpliciter, quæcunque ſancta mater noſtra Eccleſia credenda proponit, execrando & abiurando omnes Sectas & errores; præcipuè vero quæ his tempeſtatibus vigent: vitando conuerſationem hominum ſuſpectorum: Eaque de cauſſa non legent libros prohibitos; Sed habeant affectum ſingularem erga ſanctã Sedem Apoſtolicam, & ſummum Pontificem Ieſu Chriſti in terris vicarium.*

II. Spem omnem reponant in Dominum, ceu Patrem amantiſſimum & benigniſſimum. Atq; dubijs in rebus ſeu anguſtiis ad eum cum omni patientia & perſeuerantia recurrant, cui Fortunæ, Naturæ, &

Gratiæ

Gratiæ bona, tamquam fonti abundãtiſſimo accepta referant, quæ tam liberali copia omni creaturæ ſuppeditare ſolet.

III. Conentur reuereri & amare Dominum intimè ex toto corde, & ex cunctis viribus ſuis; & propriam voluntatem abnegare, illam ſubijciendo & conformando Voluntati Diuinæ, ac diligenter admodum obediendo ſuis ſanctis & Diuinis Præceptis, & ijs quæ ad Eccleſiam ſpectant.

IIII. Habeant peculiarem deuotionem & reuerentiam erga beatiſſimam, glorioſiſſimam, & perpetuò Virginem Mariam Deiparã, velut præcipuam apud eius Filium & S. Trinitatem aduocatam, ad impetrandum nobis gratiam & omne bonum;

Deinde habeant plurimum deuotionis & reuerentiæ erga Sanctos & Angelos, Præcipuè erga Sanctum Michaëlem archangelum tamquam Eccleſiæ principem, & erga Angelum proprium cuiusq; cuſtodem.

Honorent Reliquias & Imagines Sanctorũ. Sint in Eccleſijs deuoti, ac modeſti, Reuereantur & magno honore proſequantur Sacerdotes & perſonas ſacras.

V. Singulis diebus cum ſurgunt, Vel ad ſomnum capiendum ſeſe componunt, orantes Deo ſe commẽdabunt, Similiter cum ad lectionem accedunt, vel ab ea reuertuntur.

Singulis porro diebus audient Miſſam, cum deuotione & attentione proſtratis in humum genubus, poſt conſecrationem ſacroſanctæ Hoſtiæ Chriſtum dominum

num veraciter præſentem adorantes, Paßionis eius & Mortis in Cruce pro Redẽptione noſtra memores.

Officium quoq; beatæ Virginis, Vel Mortuorum, Vel ſeptem Pſalmos, Vel Coronæ, Vel alias id genus orationes recitabunt, iuxta cuiuſq; deuotionem, Vel Confeſſarij vel Præceptoris conſilium;

Qui vero beneficijs Eccleſiaſticis, vel ordinibus ſacris ſunt inſigniti, recitent officium magnũ, & cum habitu clericali, tonſuraq́; prout tenentur, incedant.

Omnes ante benedictionem menſæ & gratiarum actionem, ad pulſum Aue Maria, deuota geniculatione, Religionem ſuam & Chriſtianam conſuetudinem oſtendant & conteſtentur.

VI. Conabuntur à ſeipſis vanas & inutiles cogitationes propellere, & ſanctis honeſtisq́; meditationibus ſeſe occupare, memores Dominum vbiq́ue eſſe præſentem, qui omnia videat.

Meditationi Mortis, quæ perpetuo nobis imminet, iugiter intenti ſint. Animoq́; identidẽ reuoluant extremum Iudicium, perpetuas damnatorum pœnas, bonorum æterna præmia, Vitam & Paßionem benedicti Ieſu Chriſti, nobis in exemplum donati, quatenus quiſque iuxtà ætatis ſuæ capacitatem ipſum omni ſuo conatu imitetur.

VII. Sermones ad inuicẽ conferant de rebus ad deuotionẽ vel ad ſtudia pertinentibus, abſtinentes à quacunq; blaſphemia, à iureiurando, ſcurrilitate, detractionibus, ab omni ſermone contumelioſo, inhoneſto, & otioſo.

Quiſque vero admonebit huius præcepti præuaricatores, & ſi emendatio non ſubſequatur, ad Magiſtrum referent.

VIII. Sint ſobrij ac modeſti, in cibo & potu, & eo contenti quod illis porrigitur abſque murmuratione & faſtidio:

In Veſtitu honeſti, abſque inutili ſumptu, ne ob eam occaſionem parentes tædio afficiant.

In Somno parci, hora tempeſtiua ſurgentes, In caſtitate puri, loca obſcœna & omnem turpitudinis occaſionem deuitantes. Neque ad otium ſeſe cõponet.

Neque armis aut ludis vtentur prohibitis, veluti alea, chartis ludicris, laruis, alijsque id genus ludis illiberalibus;

Et cum luſui aut iocis honeſtis vacauerint recreandi animi cauſſa, fiat per modicum temporis: nec tempus, rem adeo precioſam inutiliter conſumant.

IX. Parentes & Magiſtros, omni reuerentia proſequentur, eorum increpationem & verba humiliter ferentes.

Seniores, ac viros in dignitate vel magiſtratu conſtitutos reuerebuntur.

Rogabunt vero Dominum, vt ipſos iuuare dignetur, & dirigere ad eum vitæ ſtatum capeſſendum, qui potiſſimum Diuino ſeruitio & propriæ ſaluti conueniat.

Neq; interim in votis faciẽdis leues ſint aut præcipites: ijsq́ factis, ſint in exequendis diligentes.

X. Inter

X. Inter ſuos commilitones, familiares, ſeu domeſticos non ſint moleſti vel factioſi, nec in alios contumelioſi; ſed modeſti & pacifici. Improborum familiaritatem & conſuetudinem deuitabunt, & notitiam tantum cum ijs inibunt, à quibus & in moribus & in litteris promoueri poterunt.

XI. Bonum exteris exemplum præbeant, in geſtibus & inceſſu, non iaciendo lapides per plateas, neque pauperibus, claudis, aut mancis ſubſannent; ſed potius eorum commiſereantur, & eos eleëmoſynis, ſi in eorum id poteſtate fuerit, adiuuent.

XII. Vt vero melius prædicta obſeruent, curet quiſque habere Summam Doctrinæ Chriſtianæ, & diſcat eam memoriter; Audiant continuo Exhortationes; & declarationes quæ in eam fient in Collegio; & Conciones in Eccleſia cum attentione.

Legant ſubinde librum aliquem ſpiritalem, veluti libellum illum aureum Thomæ Kempiſij de Chriſto imitando; Et ſingulis menſibus ſemel confitebuntur, & ſument Corpus Dominicum, ſi ita viſum fuerit Confeſſario ſuo ad id deputato.

De ijs quæ ad Studia ſpectant.

I. Eorum qui ſtudent intentio eſſe debet, vt Scientiam conſequantur, non lucri vel honoris cupiditate; ſed vt ſibi & alijs Veritatis cognitione ad Dei honorem & gloriam prodeſſe poſſint, cui accepta ferenda eſt omnis opum & dignitatum acceſſio quæ ratione Scientiæ nobis prouenit, eam Diuinæ ſuæ

Maieſtati omnino referendo & attribuendo.

II. Cum expediat, vt ij qui ſtudent, præter puram intentionem, etiam ingenij acumine ſint præditi ad intelligendum; rectitudine ad iudicandum, memoria firma ad retinendum, & propenſione in ſtudia ad perſiſtendum; Qui ijs virtutibus ſunt præditi, de ijs grati eſſe curent erga Dominum, & ad ſuam vti gloriam.

Qui vero compererint ſe deſtitui tali habitu, & chariſmatibus, conentur ea per orationem, ſtudium, & exercitium conſequi.

Quod ſiquis adeo fuerit ineptus, vt non videretur ad fructum faciendum accommodus, ſciat quod poſt adminiculum bonarum exhortationum, Præceptores diuertent patris animum, ne cum temporis detrimento olei & operæ iacturam faciat.

III. Cum ſtudia totum hominem requirant, debent ſe auocare ab omni negocio, ambulatione, & ſocietate, quæ impedire aliquo modo poſſit, quatenus liceat ſtudijs liberius vacare ad Domini gloriam.

IIII. Quia vero temporis ſucceſſu ſcientia acquiritur, neque abſque miraculo quiſquam repente doctus, & ſapiens euadit, ſint aſſidui in ſtudijs, & ſingulis diebus compareant ad omnia exercitia litteraria, priuſquam incipiantur, nec diſcedant antequam finiantur, neque conſcendant ad Claſſes ſuperiores, niſi prius in inferioribus bonos progreſſus fecerint.

Quare ab initio cum ludum frequentare cœperint,

nomen ſuum catalogo inſcribi curabunt, vt referantur ab ijs, qui ad hoc ſunt deputati, in locum & ſcholam ipſis conuenientem.

V. Libros habeant, non laſciuos, nec auctorum ſuſpectorum, neque mendoſos & incorrectos; Qui vero ſunt ſub cura parentum, eos non vendant abſq; illorum permiſſu, neque lacerent aut corrumpant.

VI. Qui ſunt capaces, diſcant ſuas lectiones domi, & in ſchola multa cum attentione & cura eas audiant, non dormitando aut garriendo, neque alias petulantias, quæ impediant, exercendo. Sed annotabunt, quæcunque à Præceptore illis mandabuntur, & quæ cenſebunt ipſis vtilia futura, & ipſorum capacitati accommoda.

VII. Sint quoque diligentes in lectione audita repetenda, nec erubeſcant à doctioribus, quæ ignorent percunctari: Illi vero abſque inuidia quod ſciunt, cum alijs communicent, Nam hoc modo & rectius intelligent, & tenacius omnia ipſorum memoriæ inhærebunt.

VIII. Temporibus præſcriptis libere diſputabunt, & cum feruore, ſic tamen vt vrbanitatem & modeſtiam demonſtrent abſque ira vel contemptu; Veritati autem, quæ diſputationum eſt finis, humiliter & beneuolè cedent, à qua porro qui vincitur, errorem proprium vincit.

Quare importunè ſeſe mutuo non perturbent, ſed breuiter & dilucidè procedent, amouendo quæcunque

explicationem & noticiã Veritatis impedire poſſint, Atque vt omnis tollatur contentio & immodeſtia, finient ſubito Diſputationes, cum à magiſtro fuerit impoſitum ſilentij ſignum.

IX. Ediſcent memoriter hoc ipſum, quod à magiſtro fuerit iniunctum temporibus accommodis, Veluti hora matutina, & pomeridiana; Cui rei admodum proderit crebra repetitio, & aſſidua lectio voce alta, & ſonora, præcipuè antequam ſeſe ad ſomnum componant.

X. In Compoſitionibus ſint admodum diligentes, & in exercitatione Styli; quod quidem valdè erit vtile & neceſſarium ad iuuandos abſentes, & omnem poſteritatem.

Grammatici loquentur Latinè & emendatè: Maiores etiam eleganter, quiſque pro ſua capacitate. Neque enim mediocriter confert, cõceptus ſuos poſſe alijs bene exprimere; Et hac ratione ſint intenti vt dilucidè & correctè legant.

XI. In ſtudijs priuatis & domeſticis, dent operam, vt non ſint curioſi ad diſcendas res vetitas, inutiles, vanas, nimis ſublimes, & præter ſuam capacitatem, ſed res vtiles & ipſorum captui accommodas, veluti ſunt ea quæ in Scholis leguntur:

Nec inter ſtudendum ſint malè compoſiti, inſtabiles, aut plus æquo vehementes: ſed moderati, cum ea perſeuerantia, quæ ad cõſeruationẽ ſanitatis faciat.

Qui diligentes fuerint in obſeruatione rerum prædictarum

dictarum, præcipuè in confitendo ſingulis menſibus; & in ratione ſtudiorum: præter eas commoditates, quas per Dei gratiam conſequentur, etiam fient participes omnium Orationum, & bonorum Operum quæ fient in Societate noſtra, & præcipuè in hoc noſtro Collegio.

Verum qui diſcoli fuerint, inquieti, & alijs ſcandalum exhibuerint, caſtigabuntur, ab eo, qui huic officio præfectus fuerit, plus aut minus, ſecundum admiſſum facinus.

Qui vero ad ætatem grandiorẽ peruenerint, cum non expediat, eos hoc modo corrigi, ſi poſt vnam vel alteram benignam & caritatis plenam admonitionem, ſeſe non emendauerint, ex Collegio in quo Magiſtri noſtri docebunt, profligabuntur.

Magiſtri vero abſque præmio temporali docebũt, ad ſolam Proximi vtilitatem, ob amorem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nobis eſt ſola & ampla merces, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

Superiora hæc vertit ex Italica lingua I. B. neceſſitudi ne vetuſta mihi coniunctiſſimus.

LEGES DOMESTICAE SCHOLAE CVIVSDAM IN GERMANIA.

NEmo in Collegium noſtrum admittatur, qui non ea ſit ætate, vt corporis ſui, & veſtiũ curã habere poſſit, quiq; non legere & ſcribere ſaltem nouerit, & ſe offerat obſeruaturum, quæ ad domeſticam diſciplinam pertinent, & obediturum Superioribus. Atque hæc quæ obſeruanda ſunt, ipſi qui recipiuntur, & qui eos in Collegium conſtituunt, videant & intelligant.

Admiſsi per dies aliquot à ſtudijs vacent, & anteactæ vitæ Confeſsionem inſtituant, & de modo examinandæ conſcientiæ, & orandi inſtruantur, vt ædificiũ doctrinæ, fundamentum inueniat Pietatis, & vtriuſque progreſſus & tamquam ſcopus præ oculis habeatur: Interim quoque Regulas deſcribent, & eaſdem ſæpius relegendo in memoriam reuocent.

Si pecuniam habebunt, ſeruari oportebit apud eos, quibus ea cura commiſſa, & bona fide in eorum ad quos pertinet vſus neceſſarios expendetur, vel ijſdem reſtituetur cum diſceſſuri ſunt.

Ne quidquam in arca clauſum habeant, quod velint latere Superiores, vel Præfectum cubiculi.

Non egrediantur foras abſque permiſſu Superioris, & aſsignato ſocio, Minus vtique foris pernoctent

etiam apud conſanguineos. Sed nec loquentur ſine eiuſdem conſenſu cum externis, nec familiariter cum domeſticis, niſi cum perſonis, horis, & ſocio deſignatis, exceptis verbis communibus vt ſalutationum & ſimilium quæ neceſſitas requirit.

Nec litteras ſcribant vel alicui mittant, niſi prius eas Superioribus oſtendant.

Si quis cognoſcetur aliorum pacem, & in virtutibus progreſſum impedire, & non emendaretur correctus, non tolerabitur in Collegio, ſed dimittetur.

Omnes mutuam Caritatem inter ſe retineant, nec verbo aut facto, alter alteri quidquã iniuriæ inferat, nec cum altero contendat, nec illi malum loquatur, neque ipſum deſpiciat.

Sed quum tale acciderit, alter cui tale quid infligitur, Præfectum cubiculi, aut alios Superiores cõueniat ſubito, quibus negotium exponat, & hi curabunt, vt ſtatim reconcilientur.

Caueant nimiam familiaritatem, nec Superioris iniuſſu alter alteri donare quidquam poteſt, nec etiam accipere, domi vel foris.

Curent in primis Cordis, deinde Corporis & Lecłuli, (quem vnuſquiſque ſeorſum habeat) Cubiculi, & rerum ſuarum mundiciem & concinnitatem.

Veſtitu vtantur honeſto & mundo potius, quam ſplendido, aut vano.

Sanitatis etiam ſuæ curã habeant; Et ſi quid ſenſerint aduerſæ valetudinis, ſtatim admoneant Præ-

poſſint, dabitur media hora. Orabũt autem per quartam horæ partem.

Sub Oratione autem Veſpertina quilibet recitabit, vel Officium B. Mariæ Virginis cum Matutinis vſque ad laudes, vel aliud quippiam, ad quod maiorem ſentiet deuotionem, (cum tamen Superiorem vel Confeſſarium certiorem fecerit.) Et quod reliquum eſt, Matutina Oratione abſoluet.

Si vero neque hac hora abſoluere poterit, id quod ſupereſt ſub Sacro recitabit, niſi aliter ſibi fuerit ordinatum à Domino Rectore vel Confeſſario.

In Oratione autem deuotus eſſe debet, & modeſtus, atque nullum prorſùs excitare rumorem, & vtrumque genu debet flectere & prope ſe candelam ardentem (ſi opus fuerit) habere.

Abſoluta Oratione, vſque ad Lectionum tempus, nemo vllum audeat proferre verbum, ſine permiſſu Præfecti, ſed perpetuum ſit ſilentium.

Dato vero ſigno hebdomodarius dicet alta voce, vt omnes ſui cubiculi percipiant, (Silentium.)

Cum in Scholam ſe conferent, conuenient omnes ad locum deputatum, expectantes donec Præfectus iuſſerit eos in Scholam procedere, & quilibet eat cum ſocio ſibi aſſignato.

In lectione vero quilibet ſe attentum, diligentem, modeſtum, & Præceptori obedientem exhibeat.

Lectione Matutina finita, pro temporis ratione, quilibet cum ſocio deputato ad ſacrum ſe conferat, in

quo ante Præfectum in loco deputato manere debet, & flexis genibus nulla ratione,(niſi infirmitas impediat)muro,ſcamno,vel alteri alicui innitendo.

Et ſacrum deuotè audiat,& ſub eodem,ſiquid ſupereſt de Precibus ipſi aßignatis,recitando perſoluat, ſin minus,Roſarium recitet.

Nullum autem aliud ſacrũ præter commune audire liceat (niſi accepta facultate.) Quod ſi fecerint, tamquam non audierint, exiſtimabuntur.

Sacro finito omnes ſtatim ad cubiculum cum modeſtia properent, & lectos ſuos, ſi compoſiti non fuerint,componant.Et cum ad Ientaculum ſigno vocabuntur,ſubito relictis omnibus,ad coenaculum ſe conferant, & breui præmiſſa Benedictione illud ipſum perficiant.

Abſoluto Ientaculo recipiant ſe in cubiculũ, quod poſtquam omnes ingreßi fuerint, hebdomadarius orabit nomine omnium orationem illam, Actiones noſtras,&c. *Vel aliam breuem, & ſinguli maturent intereſſe Orationi.*

*Hunc autem orandi modum omnes obſeruabunt ſemper,quotieſcunque omnes in die ſimul ingrediantur. Oratione abſoluta hebdomadarius admonitus à præfecto cubiculi dicet,*Silentium,*quo audito omnes feſtinent ad menſas, tractaturi ſtudia.*

Recitabunt autem hac vel alia hora, prout illis præſcribetur lectiones ſuas memoriter,qui inferiorum ſunt Claßium. Et hebdomadarius aßignabit ſingulas

verba, quæ in lectione recitanda errabunt, ſi vero aliquis vltra decem errores committat, tamquam non recitaſſet, exiſtimabitur.

Abſoluta autem horæ Nonæ lectione, quilibet ſine mora ad cubiculũ ſe conferat. Et dato ſigno, ad prandium omnes maturent, lotis manibus, & modeſte cœnaculũ ingrediantur antequam benedictio incepta ſit.

Semper in cœnaculo ſummum ſeruetur ſilentium, niſi neceſſitas vrgeat loqui. Nullus vero ad ſecundam menſam remaneat abſque facultate.

In omnibus etiam Temperantiæ, Honeſtatis, & Decoris ſit memor, tantumq; comedat & bibat, quantum ſatis eſt.

Si quis autem à communi cibo natura abhorreat, vel ſanitati obeſſet, is D. Regentem vel alios curam habentes admoneat.

Menſæ benedictioni, Gratiarum actioni, & ſub menſa lectioni attentum ſe quiſque præbeat, vt non ſolum corpus, ſed & anima reficiatur.

Si Collegium famulos habeat qui mẽſæ inſeruiant, his tamen per ordinem adiungetur conuictorum aliquis, qui cum ipſis menſæ inſeruiat.

Ex Conuictoribus quoq; ſingulis ſeptimanis aliquis deſignabitur, qui in menſa lecturus ſit.

His abſolutis cũ modeſtia exeant cœnaculũ, & quilibet ſe conferat ad Recreationem ſuam, ibidemque omnes honeſtè ſe recreent. Quæ Recreatio ob ſeruandam bonam valetudinem eſt inſtituta.

Nullus

Nullus autem ſub eadem ſtudere præſumat, nec ex loco Recreationi deputato pedem amoueat, abſque expreſſa facultate.

Finita Recreatione, quilibet ſine mora ad cubiculum ſe conferat & cũ ab hebdomodario Silentiũ indictum fuerit, menſæ ſuæ adeſſe curet, apud quã aſsiduè remaneat, & diligẽter ſtudeat, & ne ab ea pedẽ amoueat, vel eundo ad menſam alicuius, vel exeundo cubiculũ, niſi prius obtenta facultate à præfecto cubiculi. Nec vllum verbum ex quacunque neceſsitate proferat, niſi prius ab eodem accepta poteſtate.

Idem autem intelligendum eſt, de omni tempore, quo in cubiculo manendũ, ac litteris eſt inuigilandum; Tempus enim hoc ſtudijs aſsignatum, quo alij in eorum ſtudijs perturbari non debent.

Si autem neceſsitas vrgeat alterum alloqui, Præfectum adeat, vel in ipſius abſentia hebdomodarium, & ſubmiſſa voce ipſius conſenſum petat, quo obtento citiſsimè ſe expediat, & ad menſam redeat, ne inutiliter tempus teratur.

Sic autem in ſtudijs perſeuerent, quouſque ad lectionem ſeu Claſſem ſignum audiatur, quo audito hebdomodarius dicet, Silentium, *quod erit indicium finis Silentij.*

Nullus autem loquatur, niſi prius ab hebdomodario impoſito fine Silentij.

Poſthac autem ſubito ſe conferent ad locum deſtinatum, & faciant in omnibus prout ſuperius enarratum,

tum, donec è ſchola in cubiculũ, vbi per quartam partem vnius horæ poterunt ſe paululũ recreare, & vacare à ſtudijs, aut cubiculum purgare, ſi illo die purgatum non ſit.

Signo autem cœnæ dato, in omnibus faciant, ſicut ſuperius declaratum eſt.

A cœna finita recreatione, quilibet ſe conferat ad cubiculum, ſeruando ſilentium, & ſe præparando ad futuram Orationem.

Signo aũt dato quilibet ilicò orare incipiat, prout ſupra dictum eſt, quo abſoluto conſcientiam examinet. Poſtea vero ſe deuota Oratione paret ad ſomnum.

His peractis ſtatim ſe exuat, & cõferat ad lectum ſine vllo rumore, & admoniti à præfecto ſine mora lumen extinguant.

Dormiet autem quilibet in lineo induſio, atque in lecto ne verbum quidem (niſi id ſummè neceſſarium fuerit) proferatur.

Omnes diligenter doctrinam Chriſtianam memoriæ commendabunt.

Poſtremo committant ſe Conuictores gubernationi ſuorum Præfectorum, & enixè dabunt operam, vt indies ſingularem percipiant cum in litteris, tum in Virtutibus prouentum, & quo maiorem curam, ſtudium, & diligentiam in illis inſtituendis conſumet Societas, eo magis eniteat eorum Virtus & Eruditio.

FINIS.

LEGES ALTERIVS CVIVSDAM SCHOLAE IN GERMANIA.

De officio Rectoris, Prorectoris, & Magiſtrorum Claſsium.

1. Rectorem, *& eos qui adiuncti ſunt, decet Auctoritatem ſuam, Diligentia, Temperantia, Humanitate & Grauitate tueri.*

2. *Idem diligẽter animaduertunto, vt Præceptorũ & Magiſtrorum quiſq; officia quotidiana faciat.*

3. *Præceptores primi ad horæ ſonitum, ad ludum obuerſantor; poſtremi egrediuntor.*

4. *Iidem præſcriptam docendi rationem Rectoris ac Gubernatorũ arbitrio ſequuntor, nec inter docendum ambitioſè declamitando; vel digreſsionibus à propoſito argumento diuagantor, ſed ingeniorum viribus ſe accommodanto, ac diſcentium vtilitatibus in vniuerſum ſeruiento, rationẽ denique temporis, breuitatiſque ſummam habento.*

5. *Veſtitu, Cibo, Potu, Vigilantia, Diligentia, Lectione ac Scriptione Domeſtica, frequenti Concionum auditione, Pietate, exemplo ſunto: Exẽplo enim Præfectorum & Magiſtrorum perduntur, exemplo ſeruantur adoleſcentium ingenia.*

6. *Ebrioſum Præceptorẽ, aut ludis deditũ, è ſcholis non eijcere corruptæ diſciplinæ indicium eſto.*

7. *In monendis & caſtigandis adoleſcentibus, negligentia & remiſſio abeſſe, Seueritas abſque crudelitate, Vituperatio abſque maledicto adeſſe debet.*

8. *De adoleſcentibus qui litterarum ſtudijs non ſunt idonei, Rector & Gubernatores gymnaſij, parentes vel patronos, nos vel alios, ad quos ea res pertinet in tempore certiores faciunto, ne illi & ſumptus cum tempore ſine vllo fructu perdant, & ad aliud vitæ genus ſero accedere cogantur, vtroque modo irrecuperabile detrimentum accepturi.*

In Collegijs { Primum *Religionis & Morum,* Deinde *Doctrinæ diſciplina grauiſſima colatur.* }

COLLEGII LEGES.

1. *Preces Antemeridianas & Pomeridianas ſinguli frequentanto, Quorum eſt declamare, ſuo loco & tempore declamanto.*

2. *Ad Collegium nemo adoleſcentum admittitor, nemo retinetor, in quo non ſit verecundiæ & diligentiæ indicium.*

3. *Qui admiſſi erunt Moderatoribus nomina danto, oeconomo trium menſiũ pecuniam perſoluunto: Idem in ſequentibus menſibus faciunto.*

4. *Sine fideiuſſione, nullũ in Collegiũ admittito: neminem rationibus non ſubductis miſſum facito.*

5. *Extraordinarios ſumptus Parẽtes & propinqui faciunto, aut oeconomo pecuniam ſuppeditanto: Qui ante tempus exierit è Collegio, cum oeconomo*

 decidito.

decidito, Omnes Pædagogo morem gerunto.

6. Qui Pædagogo non obtemperat, impatiens pœnæ, non audiens dicto, à Præfectis caſtigator, mulctator, punitor. (deto.

7. Damnũ etiã, quod quiſq; dederit, vt præſtet vi-

8. Dum locum in Collegio habere, & cubiculũ ſibi ſeruare volunt, etiam abſentes pro cibarijs ſoluunto, aut cum oeconomo tranſigunto.

9. Feſtis diebus bini ordine verecundeque Templa adeunto, Conciones auditas diligenter domi memoria repetunto.

10. Quotidianis Repetitionibus & Exercitationibus interſunto, abeſſe nemini impune eſto.

11. Sermo vbiq; omniũ Latinus eſto, Omnes ſuas Scholas & Claſſes frequẽtanto, nec alios clamore, cantu, ambulatione, Sonitu, ſtrepitu offendunto: Qui peccârit, pro peccati ratione pœnas luito.

12. Honeſtè vnuſquiſque veſtitor, nihilq; liceat in veſtitu, quod foris domiue dedeceat.

13. Extra Collegium nemo egreditor, nemo emaneto, vel ſine Pædagogi conſenſu pernoctato.

14. In Coenis, Prandijs, Ientaculis, ac in omnibus cõgreſsionibus ſermo eſto de rebus bonis, honeſtis, vtilibus, Idemq; Latinus, pudicus, verecundus, liberalis, non moroſus, non contentioſus. In coenis etiam & in prandijs, vt ne deſit ſermoni materies, aliquid memoriter, qui iubebuntur, recitanto. Nemo impune Exercitationes Collegij contemnito.

15. Rix

15. *Rixæ, conuitia, probraque omnia è congreſſionibus abſunto, qui ſecus faxit, in hunc Moderator bono modo animaduertito.*

16. *Auctor diſcordiæ, ni deſinat è Collegio & Scholis excluditor.*

17. *Arma, gladios, pugiones, non geſtato; Qui cum armis aduenerit, ea ille Moderatori cuſtodienda committito.*

18. *Qui vim alteri armis intentauerit, è Collegio eijcitor, qui ſine armis idem facit, pro noxa luito.*

19. *Malorum familiaritates, conſuetudines, congreſſiones, omnes fugiunto, qui ſecus, puniuntor.*

20. *Ad cauponas, Tabernasq́; publicas, atque conuiuia, nemo abſque permiſſu Moderatoris accedito.*

21. *Exterorũ nemo iniuſſu Pædagogi in Collegio aut dormito, aut edito; Hyeme ad horã Nonã, Æſtate ante mediũ decimæ cubitũ quisq́; ito. Secus abſque cauſſa probabili & neceſſaria, nemo facito. Deũ quisq́; ſuis Precibus ante ſomnum inuocato, placato, laudato:*

22. *Ianua Collegij, hyeme ante coenam, Æſtate, cum Pædagogo viſum erit clauditor. Nemini poſt id tempus exire fas eſto.*

23. *Pædagogus, qui cubicula omniũ circumeat; intusque eadem probet, hebdomadam nullam præter mittito; Eidem cubiculorum ianuæ, cum pulſarit; apertæ ſint, quisq́; facito.*

24. *Simulac quiuis cubitu ſurrexerit, ſtragula conuoluito, ſeruito, ſtrata per diem retineto.*

25. *Cubiculum, hypocauſtũ, verrito; ſordes aſportato, omnia in his bellè collocata ſunto.*

26. *Condiſcipulum & contubernalem tempeſtiuè dormientem, aut ſtudijs incumbentem, non voce, non ambulatione, non ſtrepitu impedito.*

27. *Ad Vicini cubiculum nemo ſine cauſſa accedito, Conuenticula per cubicula vitantor; Qui ſecus faxint Pædagogus pro noxæ ratione bona vindicato.*

28. *Qui officium non poſſe facere iudicabuntur, vt aliud vitæ genus inſtituant, miſſionem petunto.*

His legibus omnes obtemperanto, *Et ceteris legibus quæ pòſt Doctrinæ, Diſciplinæ, Religionis ergò ferentur obſecundanto.*

LEGES CVRIALES.

Primarius ſtudiorũ Finis, *Religio eſt, & Dei Diuinorumq́; operum atque beneficiorum cognitio.*

Hæc ipſa Religio Doctrina traditur, & Eloquẽtia excolitur, vt Doctrina Neceſſitatis ſit, Eloquẽtia ornatus.

Adiuuantur autem hæc duo Diſciplina & legibus bonis, in quibus hoc diſcrimen eſt, quod leges abſque diſciplina parum poſſunt; Diſciplina vero per ſe leges inuenit ſi prudenter conſtituatur.

Eſt igitur *Eccleſiaſtici potiſſimùm Magiſtratus aut certe vtriuſque ſimul, Scholas litterarum conſtituere, & Magiſtros litterarum comparare. Magiſtri vero multis de cauſſis officia ſuſcipere & facere debent: non ſolum diligenter, ſed etiam cupidè & auidè.*

Nam

Nam hæc voluntas primum Dei eſt, Deinde Magiſtratus. Poſtremo requirit Caritas Chriſtiana, vt quantum quisque poteſt, tãtum proſit Societati Chriſtianæ. Sed Præceptores morum, & magiſtri litterarum ipſi ſibi pro legibus eſſe debent, etiamſi nullas haberent. Adoleſcentia vero & pueritia, huiuſmodi regenda & ſeruanda eſt legum habenis; Si id aſſequi abſque legibus non poſſis, quod optandum eſt, vt vltro faciant, quod faciunt ingenia bona. Vt velint & obtemperent ijs, quæ à Magiſtris præſcribuntur.

1. *Quod Seueritate corrigi poteſt, Indulgentia non debet negligi, Quare ſiquis ad horas conſtitutas non adeſt, virgarum verberatione corrigendus eſt, niſi excuſationem à parentibus, aut heris domeſticis probabilem adferat. Iſtud enim Voluntatis peccatum eſt, non ingenij imbecillitatis.*

2. *Qui poſt horam conſtitutam veniet, caſtigari debet, modo & ratione bona, iudicio Rectoris, Viſitatorum, & Præceptoris; magis ſi bis in hebdomoda id fiat: Maximè ſi ter idem admittatur.*

3. *Qui negligenter auſcultat, qui res traditas non repetit, qui interrogatus reſpondere non poteſt, qui cetera officia bonorum Diſcipulorum negligit, Is pro errato, pro Peccato, pro ingenio, pro ætate, debet caſtigari: Sed grauiſſima medicina erit in his morbis, virgarum ſeueritas, minima verborum prudens remedium.*

4. *Qui non diligenter auſcultat, qui alia cogitat,*

qui nugatur, qui ſcriptitat, res alienas pingit, aut alia legit, quam quæ doceantur; In his peccatis, minima caſtigatio, comminatio & obiurgatio, Seueritate enim diſciplinæ iſtud naturæ vitium ſanari poteſt.

5. Qui malis delectantur familiaritatibus, qui verbis litigant, qui pugnis præliantur, aut quoquo modo dimicant, qui iurãt, qui Præceptores contemnunt, qui irreuerenter prætereunt aut aſpiciunt, aut alloquuntur eos, qui reuerentia digni ſunt, vt Senes, vt Magiſtratus, vt homines præditos authoritate aut virtute, qui in plateis aut cœtibus hominum nõ verſantur verecundè, & vt decet literarum ſtudioſos, ratione bona grauiter debent emendari.

6. Qui ſermone vtuntur alio quam Latino, qui impudenti, qui impudico, pro peccati genere ratione bona puniantur.

7. Qui aduerſus Magiſtros & Præfectos ſuos, falſam querelam ad parentes deferet, aut tutores, aut cognatos, aut amicos, aut quoſuis neceſſarios, aut viros bonos; Et quia falſum dicit, & quia aduerſus Præceptorem & Præfectos ſuos ingratus eſt, & quia moerorem mendacijs ſuis excitat, pro facinoris grauitate, aut virgis caſtigetur, aut cuſtodia coerceatur, aut bono aliquo modo ſeueritatis fiat melior.

8. Decurio, ſi officium non faciat, in animaduertendo & accuſando, virgis corrigendus eſt, Non enim hic vitioſus eſſe poteſt, vt non nouem condiſcipulos vel offendat exemplo, vel in ſocietatem vitiorum per-

trahat, & diſciplinam corrumpat gymnaſij.

De Aduenarum officijs.

1. *Qui aliunde ad hanc Scholam mittentur, ad ciuem nemo diuertat abſque Rectoris & Prorectoris conſenſu.*

2. *Nemo etiam ab hoſpite ſuo diſcedat, aut hoſpitem mutet, abſque horum voluntate, atque permiſſu.*

3. *Pernicioſum eſt apud intemperantem hoſpitem, & immoderatum viuere, detrimentoſum apud auarum, Vtrumque lege vetandum eſt.*

4. *Veſtitus nihil militare habeat, nihil molle, nihil diſſolutum, nihil contra bonorum & honeſtorum virorum conſuetudinem.*

5. *Non libros emant, non veſtes comparent, non pecuniam mutuo accipiant abſque Rectoris, Prorectorum, Magiſtrorum, & eorũ quibus commiſſi adoleſcentes ſunt, conſenſu & voluntate. Ciui qui his vendidit, qui pecuniam mutuo dedit, lege municipij, ſuum repetere iudicio non liceat.*

6. *Concionibus, Precibus, Liturgicis diuiniſque officijs etiam Claſsici qui cum ciuibus habitant, tempeſtiue adſint, auſcultando, canendo, precando vel meditando.*

7. *Ad quas Conciones publicas, qui in Collegio ſunt, diebus feſtis conuenire debent, eaſdem etiam ciuium hoſpites frequentanto.*

8. *Gladiatoribus, Muſicis, Saltatoribus, nemo in Collegio Principis, nemo apud ciues operam danto.*

LEGES CELEBRIS CVIVSDAM SCHOLAE BELGICAE.

De moribus ad Religionem ſpectantibus.

Dominicis ac feſtis diebus, *omnes in templo Miſſæ ordinariæ Magiſtris præſentibus interſint.*

Similiter ad audiendam Concionem Gymnaſiarcha & Præceptoribus ducibus bini concedant, In Templo humi per Claſſes in ſuis octurijs conſideant, Concionantem ſeruato ſilentio arrectis auribus auſcultent.

Corycæi inſolentes obſeruent ac prodant.

Concione peracta, abſq; fabulis mutuiſq; compreſſionibus, ſingulæ Claſſes tēplo exeant, abſq; vllo tumultu.

Profeſtis diebus præſertim Lunæ & Veneris integrum ſacrum audiant, ac ſacri aliquid legant, à lectione vero prophanorum librorum, à compoſitione carminis aut epiſtolæ, & à quacunque ſcriptione ſub ſacro abſtineant.

Cum legitur in Symbolo, Et homo factus eſt, *Et ad Eleuationem Corporis Domini in genuia procumbant, ad altare verſa facie, ad Chriſtum animo.*

Dum vel Concio fit aut peraguntur ſacra, nullus ſtrepitu Concionantis vel ſacrificantis memoriā irreuerenter diſturbet.

Templum alijs temporibus tranſeuntes, caput ape-

riant breuiq́ue precatiuncula Chriſtum ibi verè præſentem ac Diuos ſalutent, ibi nunquam obambulent aut prophanum quid tractent.

Effigiem Saluatoris, & Imaginem Crucis, quocunque eam loco prætereant, capita retegant, Salutisq́ auctorem recolant.

Sacerdotes, omnesq́ Religioſos, vt Dei vicarios diſcipulorumq́ ipſius ſucceſſores, Præceptores vt parentes animorum, Senatores vt bonorum defenſores, Ceterosq́ omnes vti fratres, & cæleſtis Patris filios amore & honore debito proſequantur.

Statis temporibus Peccata ſua Sacerdoti ordinario ſeu præſtituto confiteantur, quorum is nomina ſchedis inſcripta præceptoribus tradat.

Coemiterium, aut quemuis locũ ſacrum, aut gymnaſij veſtibulum nemo lotio vel oleto deturpet.

Ædes gladiatorum, Saltatorum, Aleatorum, Ganeonum, publica diuerſoria, aut quæuis loca ſuſpecta ne ingrediantur.

Luſus vitent illiberales, vt aleam, chartas luſorias, & omne aliud ludendi genus illiberale, nihil vmquam pecuniæ in luſu deponant.

Ita loquantur vt de verbis otioſis olim apud Deũ facile reddant rationem.

Nullius caput diris deuoueant, Nulli quid mali imprecentur, Nulli obtrectent, Turpiloquium deuitent, Obſcœnas cantiones & picturas fugiant, Fornicationem ne nominent quidem.

A libris

A libris ſpurcis, vetitis, aut vernaculo ſermone ſcriptis prorſus abſtineant.

De Officijs Scholaſticis.

In tempore ſcholam adeant, eamque ingreſſi mox ſe ſuæ quiſque iungat decuriæ, ne ſtantes otioſi deprehendantur.

Arma ſcholaſtica, & tres pluréſue calamos ſcriptioni aptatos, chartam & atramentum in promptu ſemper habeant.

A Præceptore dictata ſtudioſe excipiant, Per abſentiam forte omiſſa intra biduum inſtaurent.

Sub Prælectione ne fabulentur, aut alio quouis modo docentem perturbent.

Lectionibus finitis ordine quo ſedent egrediantur primùm Claſſes inferiores, deinde reliquæ, non velut agmine facto cateruatim, ſed paulatim, & ſucceſſiue.

Decuriarum præfecti in ludo primi adſint, nihilque quod ad munus obeundũ pertinet, omittant; Libros, atramentarium, calamarium ſingulorum inſpiciant; Coniuganda, Comparanda, Declinanda, & ediſcenda tempore ſuo præſcribant & exigant.

Quidquid neglectum, erratum, peccatumque per totam hebdomadam fuerit, Præceptori die Veneris vltima lectione prodãt, vt omnes mulctas ex catalogo deleat pro ratione delictorum. Idque vel ferulæ, vel virgæ ictu, ne pœna nummaria in exitialem quãdam compotationem aut negotiationem abeat.

Omnes in Schola, clamorem, ſibilum, eructationem, ſimulatam tuſſim, ſonoram oſcitationem, cachinnum, &c. vſurpare caueant.

Sero in Scholam venientes (abſente forte Gymnaſiarcha) niſi ſe probe excuſarint, à Præceptore docente ferula cedantur.

Abfuturi à Schola, facultatem petant à Scholarcho, ad quem ſi non detur aditus, poſt, ad ludum reuerſi adducant fide dignũ per quem queant excuſari.

Hyberno tempore lichnuchi candelas vſque ad exitum ardentes adminiſtrẽt, nec eas diffluere ſinant.

Ante Scholam vel in plateis otioſi, luſitantes, vel apricantes ne conſiſtant.

Sedilia, valuas, parietes, tabulata, creta vel carbone ne depingant vel cultro incidant.

Cultrum domi relinquant, arma quoque, ſiqua habeant, apud hoſpitem deponant.

Nullo telo quemquam inuadant, neminem damno, iniuria, vel probro afficiant.

Nomina ſua librorum capitibus inſcribant, vt perditi dominis ſuis reſtituantur.

Pecuniam à parentibus in neceſſarios vſus datam, ne libis, pyris, pomis, nucibus, aut quibuſlibet alijs cupedijs inſumant.

Hyeme glaciem, Æſtate aquas fugiant.

Pauperesq; ne cornua tollant, aut inſoleſcant, ſed modeſtia ſua in mendicando, ciues & quoſuis alios ad beneuolentiam, benignitatemque inuitent, & bene fa-

ctoribus gratitudinem declarent, Sabbathi die ſordes vna cum clauigero aſportent, & obſcuram conditionem induſtria ac ſedulitate illuſtrare nitantur.

Signiferi aduigilent vt ſe ſua nota liberent, vtque ſuos commilitones metu notæ in officio contineant. Sed notam, à quibus acceperunt, ne reddant, niſi vrgente cauſſâ admodum graui.

Ad nullius abſentiam, inſolentiam, deſidiam, negligentiam, turpitudinem conniuere tentent.

Nullis ſe minis, vel muneribus terreri vel corrumpi patiantur.

Gregem ad Miſſam vel concionem exeuntem, ab vtroque latere aberrent, & in itinere garrientem, clamantem, diſcurrentem, notent ac prodant.

Leges familiares ſeu domeſticæ.

Externa Iuuentus domi in decurias, vel octurias redigatur, & cuique decuriæ vel octuriæ Præfectus, litteris & bonis moribus præditus, præficiatur, immunis à locario, & operibus domeſticis.

Huic contubernales omnes non minus pareant quam Magiſtro ſuo vel Scholarcho.

Hora quinta matutina Deum precaturi deſurgant, & octaua veſpertina cubitum concedant.

Excitandi partes penes præfectum ſint, Extra contubernium ne pernoctent, nec vnquam in lecto cubent alieno.

Dormientes, ſtudentes, aut ſcribentes à nullo turbentur.

Cubiculum ſinguli contubernales per vices verrāt.

Cum hoſpitibus, contubernalibus, aut familiaribus ne rixentur, aut colludant.

Præfecti ſingulis ſeptimanis, Gymnaſiarchæ vel deſignato Præceptori, domi actorum rationē reddant.

Iniuſtè neminem notent, accuſare peccantes ne diſſimulent. Mulctæ Sabbatho ſoluantur, aut ſi dilatæ fuerint, conduplicentur.

Leges Chorum Frequentantium.

Cantionibus Eccleſiaſticis deſignati, libellum habeant continentem quæ in Templo canuntur.

In Choro nihil præter cantum, pioſq; ritus vſurpent. Mutuis confabulationibus, picturis, & ſcriptionibus abſtineant.

Sabbatho, & pridie Feſtorum Reſponſorijs, Antiphonis, & verſiculis diſcendis interſint.

E choro, vel in chorum ne præcipitanter proruant ſed religioſè ac lentè cum adiuncto ſocio incedant & decenter progrediantur.

Aliquot aliæ eiuſdem Scholæ leges.

1. *Diſcipuli in primis Deum piè colunto, ipſumque præ omnibus timento, Hic enim eſſe finis omnium ſtudiorum debet, vt Dei honor quæratur, ſic non ſolum felicius ſuccedent ſtudia, ſed & alia affluent vberius.*

2. *Mentem caſtam ac integram; Corpus immaculatum conſeruanto.*

3. *Inquinatum, fœdum, ineptum, nulliusque fru-*

gis ſermonem in oſturiam ne inferunto. Scurrilibus & obſcœnis ne vtuntor.

4. *Clamores, turbam, rixas, contentiones, ne vllam petulantiam ciento.*

5. *Qui cuſtodis officio funguntur, primi vt recitantes ſuos audiant ſunto. Et ſingulis lectionibus aliquid diſputandum aut recitandum præſcribunto. Si iuſta de cauſſa abſint, vicarium conſtituunto.*

6. *Abſente Præceptore ante horam auditam, aut euocato, nihil turbarum clamoríſue mouento, ſed lectioni aut ſcriptioni vacanto.*

7. *Contra Grammaticorũ Regulas inter loquendum aut ſcribendum, ne peccanto.*

8. *A ſcholis ne horulam emanento: Sed antè horam præſcriptam ſemper aſſunto.*

9. *Extra oſturiam ne ſedento.*

10. *Ne pedibus cubitoue, aut alijs rebus vllis negocium inuicem faceſſunto.*

11. *Singulis Sabbathis mulctas ſatisfaciunto.*

12. *Præceptore præſente, quietè, attente, arrectis auribus Præceptorem tradentem audiunto.*

13. *Suſurrionibus & Colloquijs lectionẽ ne turbanto.*

14. *Vernaculam atque natiuam linguam nunquam non ceu peſtem vitanto.*

15. *Reddentibus memoriter ne ſuggerunto.*

16. *Diſcipuli adeo contumaces, intractabiles, & refractarij, vt ſeſe præſcriptis legibus ſubijcere nolint, dictum & factum hinc diſcedunto.*

FINIS.

LEGES SCHOLAE CVIVSDAM BATAVICAE.

Quæ ad Deum & Diuina ſpectent.

Deum in primis, eiusq; Diuos, vt æquum eſt, colunto, omniaque litterarum ſtudia, ſine Religione, vana arbitrantor.

Quæ in ſacris litteris de Deo & Chriſto filio eius docentur, certè credunto.

Omnia bona ab illius benignitate proficiſci perſuaſum habento, illique accepta referunto.

Gratias quotidie pro ſummis beneficijs agunto, & vt defendat aduerſus Diabolum Precibus implorato.

Rebus Diuinis & ſacris concionibus ſuo tempore & loco cum ſumma reuerentia & arrectis auribus interſunto.

Cum ſacra peraguntur, rectis capitibus, & flexis genibus toti ad Religionem compoſiti ſedento.

Precibus aut lectioni ſacræ, omnibus alijs poſtpoſitis vacanto.

In Templo deambulare, fabulas, ſtrepitus, clamores, & inciuiles geſtus edere cauento.

Ab omni iuramento, obſcoenis verbis, maledictis, dirisque imprecationibus abſtineto.

Quater in ſingulos annos Sacerdotem accedunto, & de Peccatorum ratione edocentor.

Omni loco & tempore Sacerdotibus, Præceptoribus, Parentibus, Senatoribus, & omni Magiſtratui,

torúmque vxoribus, Item viris ſeu matronis ſenio venerandis via ceduntо, reuerentiam capite nudato exhibento.

In locis publicis, cœmiterijs, ne ludūto, nec lotium reddunto, aut aluum exonerãto.

Interni omnibus feſtis diebus lineis induti veſtibus, ordine ac modeſtè, in templum bini eunto, redeuntoque.

In Choro decenter & compoſitè verſantor, Cantui aut Precibus, non fabulis intenti ſunto.

In tonis, verſiculis, & id genus alijs cantandis, ne erranto.

In vtroque Chori latere delatores, qui inſolentes & ſerò venientes obſeruent, ſunto.

Ante vocis mutationem, niſi in ædibus fraternis collocentur, Chorum ne relinquito.

Quæ ad Præceptores.

Præceptores, non minus quam parentes ſtudiorum gratia amanto, ijsq́ libenter & beneuolè obtēperanto.

Omnibus in locis eos obſeruanto, & honore proſequuntor. Minerual, hoc eſt, mercedem ſcholaſticam liberaliter & ſine dilatione ſoluunto; qui tenuis fortunæ ſunt, ſuã conditionem aperiunto & agnoſcunto.

Admoniti aut cæſi à Præceptore, ne obmurmuranto, aut obſtrepunto.

Cōtumaces & impij in Præceptores ſeditionesq́ inter cōmilitones cōcitantes, in exemplum aliorũ cæduntor, & niſi ſe emendauerint, gymnaſio eijciuntor.

Quæ ad Scholam.

Scholam modeſtè, ſine indecoris curſitationibus ingrediuntor, egrediuntorque.

Ab ingreſſu Scholæ ſtatim decuriã accedũto, ibiq́; maneto, nulli rei, quã lectioni ſiue repetitioni vacãto.

Pedibus aut cubito, aut vlla re nemini negocium faceſſunto.

Nihil clamoris aut turbæ, tam abſente quã præſente Gymnaſiarcha aut Præceptore excitanto.

Horas diligenter obſeruanto, neque vmquam, niſi neceſſaria vrgeant negocia, ſe abſentanto.

Præceptorem enarrantẽ attentiſſimè auſcultanto.

Dictata eius in margine libri, iuxta locum qui explicatur, aut munda charta in libello aliquo in hunc vſum parato emendatè excipiunto.

Nec inter prælegendum capite cubito innixi ſedento, neque ad omnem ſtrepitum, vocem, ſibilum, circumſpiciunto, parieti aut tecto inhianto ac oſcitanto.

Arma ſcholaſtica, vt calamos, chartas, atramentum, ſemper in promptu, & expedita habento.

Præſides decuriarũ primi in Schola ſunto, nihilq́; quod ad ſuum officium pertinet, prætermittunto.

Inflectenda, Comparãda, & Declinanda ſuo tempore præſcribunto, exiguntoq́ue.

Ad errores & vitia ne diſſimulanto, innoxium & ex odio neminem ſignanto.

Abſentes diligenter obſeruanto, & in recitando catalogo eorum neminem prætereunto.

Inter canendum in Schola, immodeſtam concentus diſcordiam fugiunto, neque fabulantor.

Carmina & epiſtolas ſtatuto tempore exhibento.

Latinè tam extra ludum litterarium, quam in ludo cùm ijs qui intelligunt, ſemper loquuntor.

In Grammaticorum regulas ne peccanto.

Iuſſi ſiue ex libro aliquid recitare, ſeu pronunciare memoriter, diſtinctè, ſeruatis punctis; & clarè hoc faciunto.

Reddentibus memoriter ne ſuggerunto.

Quæ ad Plateas.

Dimiſſi à Schola confeſtim ſe domum recipiunto, nec in plateis cum alijs nugando, aut ludendo, moram faciunto.

Collactationes, inciuiles greſſus, curſus, clamores, cantus; iactationes lapidum, & omnem inſolentiam vitanto.

Præſtantioribus viris cedunto, & honorem aperto capite exhibento.

Nullis omnino colloquijs, tumultibus, ludis, congreſſibus publicis, ſiue priuatis ciuium, denique puellarum choreis ſe immiſcento.

Per forum, vicos, angiportus ne diuagantor, nec vſpiam deambulanto, aut etiam deſidento.

Quæ ad Domum.

Domi modeſtè, ſine vlla petulantia verſantor. Si quid obſequij præſtandū parētibus diligēter obeunto, & ſiue domū exeant, ſiue repetant, ſalutē illis precantor.

Externi quoque apud hoſpitem, aut quibus commiſſi ſunt, humaniter decenterque agunto, & eis honorem debitum habento, nunquam cum eis iurgia exercento.

Domum aut cubiculum nunquam, niſi vrgeat neceſſitas, exeunto. Chartis ſedulò inuigilanto; Lectiones aut apud ſe, aut cum alijs repetunto.

Supellectilibus, aut etiam domui nihil detrimenti inferunto.

In cubiculo furioſè ne exclamanto, neque turbam, aut vllam petulantiam ciento.

Diſcentem, ſcribentem, legentémue ne obturbanto.

In exuendo vel veſtiendo ſemper verecundiæ rationem habento, nihilque indecore faciunto.

Alijs præſentibus flatũ ventris emittere, cauento.

Pedicularem pulicaremq; venationem exercento.

Veſperi hora nona cubitum eunto, priuſquam lectum conſcendant flexis genibus ſe Deo precibus commendanto. Lectum ingreſſi verbum amplius ne loquuntor.

Sodali detractis pallijs, membrorũ iactatione, aut garrulitate moleſti ne ſunto.

Sine iuſta cauſſa foris ne pernoctanto.

Manè maturè ſurgunto, & precibus ad Deũ fuſis Caput pectunto, Manus & os abluunto, Cubiculum ſæpius purganto.

Cõpotationes nec domi nec alibi celebranto, Ebrietatem fugiunto.

Quæ

Quæ promiſcuè obſeruanda.

Doctioribus ſe ſemper iunguntо, mala conſortia ſedulo vitanto.

Nullum cũ alijs certamẽ, niſi de litteris, habento.

Rixas & pugnas fugiunto, Neminem verbo vel ſanna irridento, neque probroſo nomine appellanto, nec damno, iniuria, vel contumelia afficiunto.

Singula contubernia in priuatis hoſpitijs præfectum habento, Soli & ſeorſum habitantes proximis ſe adiungunto.

Nulla arma, præter cultrum eſcarium habento, ſicas, pugiones, globos ferreos ne geſtanto, neque quemquam ijs petunto, aut vulneranto.

Nihil dando, vendendo, emendo, permutando, citra Gymnaſiarchæ, Præceptoris, aut Parentum conſenſum alienanto.

A Mendacio & Furto cauento;

Obſcœna & germanica carmina, neque domi, neque in plateis cantillanto.

Alios præ ſe ne contemnunto, ſua ne iactanto, vitia corporis, aut progenitorum nulli obijciunto.

Libellum ſemper in ſinu gerunto.

Quæ ad Luſum.

Data ludendi facultate extra oppidum, loco ad hoc deputato ludunto.

Tã in luſu, quã in ſchola, et domi latinè loquũtor.

Ciuium plantis, ſæpibus, aut pecori damnũ ne inferunto, neque vllos fructus furantor.

Chartis luſorijs, alijsque fortunæ ludis abſtinento
Tabernas meritorias, & loca ſuſpecta fugiunto.
Nudo corpore per campum ne curſitãto. Petulantiam, nequitiam, & obſcœnitatẽ verborum fugiunto.
Extra tempus remiſsionis, nec domi nec foris ludunto.
Poſt quintam horam ſine mora decenter ſe domum recipiunto.
Natationes, piſcationes, aucupia ne exercento.
Glaciem ne accedunto, ſeu niuem attingunto.
Diebus Sabbati ſinguli ſatisfaciunto, qui ſolutionem procraſtinauerint, eis pœnam duplicanto.
Mulctam Præceptoribus cuſtodiendam committunto, neque ante finitas lectiones repetunto.

FINIS.

LEGES CLASSICAE XII. CVIVSDAM ALTERIVS SCHOLAE BATAVICAE.

Leges 6. minoris mulctæ ſeu pœnæ.

1. *Sacerdotibus, Præceptoribus, Magiſtratui vbique reuerentiam exhibeto.*

2. *Neque in Schola, neque foris, ludendo per licentiam inſoleſcito.*

3. *Sine libris, alijſue Scholaribus armis ludum ne ingreditor.*

4. *Tempori adeſto, & inchoata lectione à fabulis abſtineto.*

5. *Recitanda per Notatorem impoſita ne ignorato.*

6. *In Latino ſermone, vt emendatè loquaris, curato.*

Leges 3. maioris mulctæ.

1. *Singulis horis dictata ſcribito, & omiſſa ante Sabbatum inſtaurato.*

2. *Neque in abſentibus Præceptori accuſandis, neque in ijs quæ recitanda ſunt, negligens inuenitor.*

3. *Neque in tecta, neque in hortos, fragmenta lapidum iacito.*

Leges 3. maximæ mulctæ.

1. *Neque in ludo, neque in alio quouis loco, lingua vernacula cum Scholaſtico loquitor.*

2. *Singulis lectionum horis præſens eſto; aut ratum remiſſionibus chirographum hora proxima exhibeto.*

3. *Stato die, & hora, Epiſtolam & verſus à Præceptore conſtitutos reddito: Et diebus feſtis Sacrum & Concionem audito.*

Notator negligens *delinquentes pœna mulctabitur.*

Quidquid eſt contra Diuinum præceptum, virgis caſtigabitur.

PAEDONOMIA, SIVE LEX DISCIPVLI, EX LVD. VIVE, LIB. DE TRADENDIS DISCIPLINIS DESVMPTA,

Quam optarem Diſcipulis frequenter inculcari.

1. *Diſcipulus Magiſtrum non aliter amato, colito, ſuſpicito, ac miniſtrum munerum Dei, & genitorem animorum.*

2. *In Scholas, tamquam in Templa venerabundus introito.*

3. *Quidquid ibi accepturus, perſuaſum habeto, cultum eſſe animi, eum cultũ maximo munere à Deo eſſe traditum humano generi.*

4. *Hic cultus ratio eſt ac via, qua Deo placeas, & ad illum peruenias, in quo extrema Beatitudo.*

5. *Igitur Puer audito Præceptorem attentus, in eumq́; intuetor. Scito ſenſum diſciplinæ eſſe Auditum, nihilque eſſe vel promptius, vel fructuoſius, quam multa audire.*

6. *Diſcito rectè ſcribere, & celeriter, quando re vera nihil ad ampliſſimam eruditionem perinde conferat, vt multa & multum ſcribere, multum atramenti & chartæ perdere.*

7. *Auditam lectionem accuratè repoſcito: Nam quemadmodũ cibus paulo ante ſumptus magis grauat ſtomachum*

ſtomachum, quam auget vires, donec concoctus in venas & corpus digeritur: ita Lectio, continuo poſtquam eſt audita parũ prodeſt, quoad incipiat in ventriculo confici.

8. *Latinè ſemper loquitor, etiam in luſionibus; Quod ſiquis loqui erubeſcat, huic linguæ eſt facundia deſperanda.*

9. *Admonitiones de moribus, ne ita accipito vt hiſtoriolam quampiam ſatis eſt audiuiſſe; cum hic ſit animorum paſtus ſaluberrimus, quem concoqui ac digeri oportet, & in animæ ſubſtantiam conuerti: Quod ni fiat, vt cibus in corpore, ita res mortalis animo offecerit.*

10. *Quoties porro ex ſanctis litteris aliquid audies, Deum ipſum præpotentẽ, audire tete arbitrator.*

11. *Huic ſcito eſſe præmium omnium rectè factorum: Vt conſueſcas nihil propter humanam mercedem agere; ſed propter Diuinam illam ſempiternam.*

12. *Crebrò in mentem veniat, nos omnes venturos per mortem ad eius tribunal, cui nemo excipitur; Mortem ex æquo inſtare omnibus, eodem momento adoleſcentes & ſenes efferri.*

Qui plura fortaſsis deſiderârit, is legat eiuſdem Viuis Præcepta educationis, Dialogo vltimo Colloquiorum eius. Vel leges morales per Gallum collectas.

FINIS.

BREVIS QVAEDAM INSTRVCTIO AD RITE CONFITENDVM, ET COMMVNICANDUM, tum Spiritualiter tum Sacramentaliter pro diſcip. grandiorib.

CVm libro tertio explicuerimus multas & magnas vtilitates crebræ Cõfeſsionis, & ſacræ Euchariſtiæ Sumptionis, viſum eſt mihi adiungere hoc loco breuem quandam Inſtructionem ab amico nobiſcum communicatam, ad vtrunque cum debita præparatione perficiendum.

CAP. I.

De modo inſtituendæ Confeſsionis.

Cura eius qui crebrò cõfitetur verſari fere debet circa quatuor.
- *Examinationẽ Cõſcientiæ.*
- *Dolorem Peccatorum.*
- *Confeſsionem Ipſam.*
- *Media Emendationis.*

De examine Conſcientiæ.

Qui ſtudent Conſcientiæ puritati, & ad perfectionem aſpirant, non ſolum de Peccatis Mortalibus (à quibus per gratiam Dei fere abſtinent) ſed etiam de Venialibus euitandis, & Affectionibus reformandis, Denique de Imperfectionibus, quoad eius fieri poſsit, minuendis, ſint ſoliciti; & teneram ac delicatam Conſcientiam, (non tamen ſcrupuloſam & anxiam) ha-

beant oportet, vt vel minimos affectus obſeruent, & in ſeipſis perſequantur.

Qui autem in quotidiano examine, diſtinctè & breuiter ſcripto, peccata notaret, quæ Cogitatione, Locutione, Opere, & Omiſſione, contra Deum Proximos & ſeipſum deprehenderet, non magnopere noua egeret diſcuſſione cum eſt accedendum ad Confeſſionem; ſed quod notauit, in memoriam, redigeret.

Qui autem non id annotaſſet, cum ſe colligit, & ad Confeſſionem parat, hoc infraſcriptum examen percurrat, & notet, memoria vel ſcripto, quod ad ſe pertinere viderit, niſi Confeſſario vel Superiori aliud videretur, quod propter nimiam & inutilem alicuius in ea parte ſolicitudinē poſſet merito contingere.

Illi etiam, qui quotidie notant ſuos defectus, ſingulis menſibus vtiliter videntur huiuſmodi examen lecturi, vt ſi quid minus diligenter obſeruauerint, in memoriam ſibi redigant.

Breue examen ad diſcutiendam Conſcientiam.

Erga Deum.

De Oratione *debita Vocali, & Miſſa audienda, an deuotè & attentè ſe habuerit nec ne, & an quid omiſerit.*

An Orationi mentali, Meditationi, & Examinationi conſcientiæ vacauerit, vt oportet.

An ex verbo Dei audito vel lecto fructum capere curauerit.

De Defectibus in Confeſſione & Communione, & ſpecialiter de negligentia in Contritione, Propoſito & Cura emendationis.

An in Credendo, & ſentiendo, & loquendo, de Deo ac Sanctis, ſe habuerit, vt oportet.

An curioſus in his quæ ſunt Fidei perſcrutandis vel diſputandis, An etiam ſuperſtitioſus fuerit, An Deum, miracula non neceſſaria expetendo, tentauerit.

An ſine Neceſſitate, Reuerentia, Veritate, ac Iuſtitia, iurauerit.

De memoria Præſentiæ Dei, & directione Vitæ, & omnium ſuorũ ad eius honorem & beneplacitum.

De deſiderio Gloriæ, & dolore offenſarum Dei, in ſe & Proximos.

De Timore & Reuerentia Dei, an alio quouis timore omiſerit, quæ Deo grata fore iudicabat.

An in feſtis peculiari modo cultui Dei vacauerit, an in Eccleſijs aut rebus ſacris irreuerenter ſe habuerit.

An Spem vt oportet conſtituerit in Deo, an alibi, An in petendo auxilio ad res & actiones ſuas eam exercuerit.

Erga Proximos.

An Charitatis affectu compaſſus ſit malis, & concupientibus bona Proximi ſui, & in Oratione pro eis, & in Opere, cum ſe obtulerit occaſio, in his quæ ad Animam & Corpus pertinent, id oſtenderit, nec ne.

An eorum iniurias condonauerit, & infirmitatem

tolerauerit, an fuerit gratus in benefacientes, nec ne.

De non præſtito Cõſilio & Admonitione, cum iuuare potuit, vel male dato, Vel etiam doctrina mala.

De Adulatione, approbando quod non debuit.

An Impatiẽtia, Verbo aut Geſtu, aut aliter oſtenſa, vel quouis malo exemplo contra ædificationẽ aliorum quid fecerit.

An quemquã à meliori bono reuocauerit, Vel ei cauſſa peccati, diſſolutionis, vel imperfectionis fuerit.

An facile de alijs male ſuſpicetur, aut temere iudicet.

De Detractione, *attingendo defectus aliorum ſine vtilitate & moderatione qua oportet, præſertim cum intentione non bona, vel ſine veritate aliquid mali nominis alicui imponendo.*

De Irriſione & exprobratione defectuum aliorum.

De Inuidia, non gaudendo de bonitate, auctoritate, doctrina, aut bonis alterius.

De Affectibus alijs circa bella, Principes, Conſanguineos, Patriam, Vel certum aliquem locum, aut perſonam, non ſecundum Caritatem & ſpiritus Dei ordinem ordinatis.

De interiori & exteriori reuerentia erga Superiores, & an ijs contradixerit, aut moleſtus fuerit.

An celauerit ea quæ oportuit, quod attinet ad ſe vel ad alios.

Erga ſeipſum.

An in quãtitate cibi aut potus, aut deſiderio ſenſuali peccauerit.

An modo indecenti ſe habuerit.

De ſenſuum parum religioſa libertate.

Circa Superbiam, an reprehenſus culpam agnouerit, an excuſarit.

An Singularis videri voluerit in re aliqua, & an alijs ſe prætulerit vel eos contempſerit.

An magni ſe faciat, & fieri velit in bonis animæ, & corporis, vel externis, & libenter de rebus ſuis loquatur, & amplificet quæ ad laudem faciunt, & demum an vanè glorietur.

An ſibi nimis confidendo expoſuerit ſe peccatorum periculis.

De Ambitione, an ſe alijs præeſſe voluerit, vel auctoritate magis præcellere. Et an ſibi aliquid vſurpauerit, in loco & alijs ad honorem vel imperium pertinentibus.

De Pertinacia & Mendacio.

De Locutione nimia & inconſiderata.

De Riſu & defectibus in modeſtia.

De Motibus Iræ & Impatientiæ.

De Debilitate animi in rebus aduerſis.

De Puſillanimitate in arduis, & faſtidio bonorum operum.

De Somnolentia & Negligentia in ſpiritualibus ſtudijs, vel alijs rebus ad quas obligatur, & in Tentationibus diſcutiendis.

De procraſtinatione ad inchoandũ, & inconſtantia inchoantis in bonis operibus.

An Inſpirationibus Dei reſponderit.

An tempus otioſis Colloquijs, inutiliter triuerit.

Siquod officium alicui proprium, vel quis Defectus familiaris, eo applicet examen.

Non oportet autẽ in his quæ dicta ſunt, ſuas tentationes confiteri, præſertim ſuperatas & importunas, niſi fortaßis conſilij gratia.

Secus ſi quis immoratus aut delectatus fuerit, & multo longius ad vlteriora progreſſus.

De Dolore Peccatorum,
Seu de ratione excitandæ Contritionis.

Poſtquam ſe quis collegerit, & in promptu habuerit, quod Conſcẽtia ſuggeßit de ſuis Peccatis, vel poſt vltimam Confeßionem cõmißis, hoc vel ſimili exercitio ſe ad Dolorem Caritate informatum excitabit.

Poſt Orationem præparatoriam, qua gratiam petat dolendi de offenſis in Deum commißis, vti conuenit,

1. *Erigat oculos mentis ad Chriſtum, expendens quod ei vt ſummæ Sãctitati omne Peccatũ ſummopere diſplicet, quid ipſe egerit, & paſſus fuerit vt nos ab eo liberaret, & ad ſuum obſequium & honorem in cuſtodiam Præceptorum ſuorum nos accenderet tot beneficijs & propria ad id vita impenſa.*

2. *Cõuertat oculos ad ſe, & videat quid ſuo Creatori, Redemptori, & Amatori dignißimo debeat, & quomodo ſuo debito ſatisfecerit, Intuendo etiã multitudinem & grauitatem ſuorum Peccatorum. Doleat*

de tanta malitia, & Ingratitudine ſua, contra talem Patrem ac Dominum, cui, cum ſe tantopere amauerit, & honorauerit, contraria retribuit.

3. Denuo conuertantur oculi ad Chriſtum, conſiderando vt Mediatorem & Satiſfactorem pro Peccatis noſtris, & eundem vt Deum noſtrũ verum, & infinitæ Miſericordiæ abyſſum, petens per beatiſſimam eius Matrem, & Sanctos, vt dignetur offenſas condonare, maculas Peccatorum abſtergere; Pœnasq; illi debitas remittere, Prauas animi propenſiones reformare, quæ contra ſuum honorem, proximorumque & proprium bonum fecit, proponendo emendationẽ. Poſſet & hoc exercitium ad Patrem conuerti.

De ipſa Confeſsione.

Accedens, iam ad Confeſſarium ſibi deſignatum, nudo capite & vtroque genu flexo, conuertens faciem ad latus, non ad vultum Confeſſarij ſignans ſe Cruce dicat. In nomine Patris &, &c. Benedicite Pater, *Poſt benedictionem proſequatur Confeſsionem generalem vſque ad ea verba,* Mea culpa, *& tunc confiteatur Peccata ſua, hæc tria obſeruando.*

Tria in Confeſsione obſeruanda.

I. Vt Confeſsio ſit integra, *nullum Peccatum ſcienter relinquendo, nihil enim iuuaret Cõfeſſio. Immo nouum Peccatũ Sacrilegij ad vetera adderetur; Accedendo ad ſpeciem, & vbi oportet Numerum exprimendo, quoad poterit, & Circunſtantias aggrauantes Peccatum, quæque augent confitentis Confeſsionem, præſertim*

præſertim in ijs quæ maioris ſunt momenti.

II. Vt ſit pura ab omni mendacio, *&* *Simulatione. Res ergo dicantur ſincere, vt quisque ſibi conſcius eſt. Certa vt certa, Dubia vt dubia: Sit etiam pura ab excuſationibus & verbis ſuperuacaneis: Nec quidquam dicatur quod ad rem non facit, nec etiam Peccata aliorum, nec quiſquam ſine neceſsitate nominetur. Et pænitens ſe tam breuiter expediat quam poſsit aut res ipſa patiatur.*

III. Vt ſit Confeſsio humilis. *Et qui confitetur memor ſit, quod in præſentia Dei ſit, à quo veniam impetrare debet, & eius Vicarij, vnde reuerentem ſe præbeat, & verbis vtatur accuſatorijs ſui, ſine affectatione tamen, & cum dolore non ficto defectus ſuos dicat.*

Poſtremo *dicat clauſulam generalem, De his & omnibus alijs Peccatis meis contra Deũ, Proximum, & Meipſum cõmiſsis, dico meam maximam culpam. Et Precor beatam Virginẽ Mariam & omnes Sanctos & Sanctas Dei, vt orent pro me, ad Dominum Deum noſtrum. Et te etiam Pater, vt ores pro me. Et peto Abſolutionem & Pænitentiam.*

Poſtea *deuotè audiendo quid Confeſſarius dicat, quod ad Cõſilium vel Exhortationem ſpectet, & Pænitentia & Abſoluta accepta, recedat.*

De Propoſito ac medijs Emendationis.

Poſt Confeſsionẽm ſe quisq; deuotè colligat, atque tria hæc denuo obſeruet.

I. Vt Pænitentiam *iniunctam cum primùm liceat, peragat, & propoſitum firmum renouet, à Peccatis quæ confeſſus eſt, & ab omnibus cum auxilio Dei abſtinendi, & Occaſiones quoad fieri poſſit euitandi, & tunc confidat omnino, omnia ſibi Peccata dimiſſa eſſe per Dei bonitatem, ſupplente Sacramenti efficacia defectus proprios.*

II. Ad emendationem ſe conuertat, *obſeruando vnum aut duos Defectus proprios, vnde forte alij non pauci oriuntur, Contra illos præcipuè armetur, & remedia adhibeat communia, cuiuſmodi ſunt.*

Magna voluntas euitandi huiuſmodi Defectus, crebrò renouata in examine Diurno, ad hos exſtirpandos applicato.

Sui ipſius *Reprehenſio & caſtigatio, cum Peccata acciderint.*

Memoria *præſentis Chriſti: & Angeli Cuſtodis.*

Oratio, *ad Deum & Sanctos, præſertim cum quis impugnatur, aut in Defectus occaſione, quæ euitari non poteſt, verſatur.*

Conſideratio *eorum quæ timorem excitant.*

Vt Mortis, *Iudicij, Inferni,*

Amoris Dei & beneficiorum promiſſorum.

Applicatio Remediorum quæ Confeſſarius, vel Superior dederit. Et hæc ipſa cum animi magnitudine & Perſeuerantia, & Spe victoriæ in Chriſti fauore fundata ſunt exercenda.

Hæc quatuor deinde ſedulò pueris commendentur.

1. Vt meminerint pro acceptis à Deo beneficijs habere & agere ipſi gratias, quod ipſos ab æternæ mortis periculis eripuerit & in ſecurũ ſalutis portum per Peccatorum remiſsionem perduxerit.

2. Vt confundantur & profundè humilientur, & contritionem habeant è puro corde, quod in multis offenderint & negligenter egerint, ac veniam humiliter à Deo petant per Chriſtum Dominum noſtrum.

3. Vt meminerint Diuinum auxiliũ & gratiam ipſis à Deo inuocandam per Chriſtum Ieſum, cum Interceſsione Virginis Mariæ, Angelorum, Sanctorum & Angeli cuſtodis, qua gratia poſsint omnia Peccata & Imperfectiones cauere, & indies in melius proficere, proponendo adhibere omnia media non ſolum ad perfectionem neceſſaria, ſed etiam vtilia, idq; eâ animi magnitudine, quaſi hactenus nihil egerint, nunc verò primum incipiant.

4. Cũ hac gratia, magnanimitate, & animi renouatione, eſt ad omnia quotidiana officia & operationes humiliter & ſtrenuè progrediendũ, cũ magna diligẽtia, circũſpectione, & fiducia in Domino, omnia ad ipſius laudẽ & gloriam & animarũ ſalutẽ referendo.

CAP. II.

Modus Communicandi in Miſſa Spiritualiter.

1. Ad hanc ſpiritualem Communicandi rationem

requiritur primo Reuerentia & Recollectio animæ in conſpectu tantæ Maieſtatis, tractantis negocium nobis tam vtile, atque ex tanta Caritate.

II. Recogitandum cum magna deuotione Sacrificium quod ibi offertur, quaſi videret Chriſtum in Cruce ſeſe offerentem vel deſcendentem in manus Sacerdotum, vt ſe pro nobis offerat propter Tres Effectus principales.

I. Vt ſatisfaciat pro Peccatis, & liberet nos à pœnis pro Peccato debitis.

II. Vt nos reconciliet Deo Patri & mereatur nobis omnia bona, præſentia & futura.

III. Vt ſummè honoret Patrem & ei cõplaceat.

Et hæc cõſiderare & meditari poſſunt poſt Euangelium vſque ad Eleuationem Calicis, Exercebiturq; in eo Fides.

Exercebitur autem Spes per Orationem, rogando Deum vt nos ſibi vnire & incorporare dignetur, per memoriam & amorem imitationemq; Crucis eius. Et faciat nos participes Sacrificij, ſeu vt conſequamur effectus ipſius per Paſsionem ibi repreſentatam, & Caritatem qua ſe obtulit in Cruce, & adhuc quotidie offert in Miſſa.

Denique per infinitam Miſericordiam ſuam, ex qua cetera omnia proceſſerunt, demonſtrando diffidentiam in proprijs meritis atque auxilio; Et econtra magnam Confidentiã ſi nos confortare dignetur, qua, vt inquit Paulus, Omnia poſſum in eo qui nos confortat.

fortat, & hoc exercitium fieri poterit vſque ad finem Canonis.

Exercebitur demq; Caritas, in fine Miſſæ, agendo ſummas gratias, pro tantis beneficijs & Caritate nobis exhibita, per quam in Cruce ſeſe obtulit, & rurſum eandem oblationem in Cruce renouari voluit, vt & fructus ipſius renouaretur in nobis. Vnde nos ipſos totos ipſi offerre debemus, & precari eius Diuinam Maieſtatē, vt nos in bono propoſito ſeruare dignetur.

De Communione Sacramentali.

Ex hoc fonte donorum omnium Spiritualiū, tanto plus quisque accipit, quanto ſe capaciorem facit per bonam Diſpoſitionem. Vna eſt ſufficiens ad euitationem Peccati in Communicando, & conſeruationem & augmentum gratiæ.

Altera fit ad guſtandam Diuinam ſuauitatē huius Sacramēti, & acquirendum abundantē gratiam, eandemque & conſeruandam & multiplicandam.

Prima Diſpoſitio, *quæ omnibus neceſſaria eſt, aufert impedimenta Communionis. Qualia ſunt Excommunicatio, Peccatum mortale, Cibus ſumptus poſt mediam noctem, & hæc de neceſſitate tollenda.*

Alia ſunt *quæ ex congruentia impediunt, Sicut diſtractio mentis, Tædiū, Somnolētia, Pollutio inculpabilis, &c. Sed Deuotio aufert facile tales defectus.*

Hæc prima Diſpoſitio, *requirit bonam voluntatem ſeruiendi Deo, quæ deberet bonis operibus delectari, ſi eſſet oportunum, quod quis cum bona fiducia,*

accedat vt paſcat animam ſuam illo qui præſens eſt cibo.

Requirit humilitatem magnam in communicante, ex conſideratione tantæ Maieſtatis & Sanctitatis.

Requirit Deuotionem ex conſideratione Paſſionis Chriſti ibidem repræſentatæ, & benignitatis ipſius Saluatoris, excitando in ſe Spem, & Charitatem per feruentes Preces.

Secunda Diſpoſitio, *Tria requirit ante Communionem. Primùm eſt Amor qui naſcitur ex duplici conſideratione S. Paſſionis Christi, & beneficij præſentis, quod non ſolum dignatur intrare caſas noſtras humiles, nec abhorret à plagis noſtris, ſed etiã præbet Corpus & Sanguinem in medicinam.*

Secundum quod requiritur eſt Spes & Fiducia, quæ exerceri poſſunt ex conſideratione Omnipotentiæ Diuinæ, potentis dare & facere omnia quæ cupimus, & ex eiuſdem benignitate quæ ad dandum paratior eſt, quam nos ad petendum.

Tertium eſt gratiarum actio pro tantis beneficijs.

Poſt Communionem vero etiam tria requiruntur, ad conſeruandum & augendum huius Sacramenti fructus.

Primo diligens cuſtodia ſenſuum Linguæ & Cogitationum poſt receptionem tam magni hoſpitis in noſtra domo. Si autem contingit nos aliquid facere, quod ipſius Maieſtatem offendat, ſubito precabimur veniam, rogantes ne à nobis diſcedat.

Secundum

Secundum eſt exhibere diligens Obſequium bonarum Operationum factarum ex amore ipſius.

Tertium eſt aulico more eum tractare, quod fiet per pias Meditationes & feruentes Orationes, quibus rogabimus, quæ ad noſtram & Proximorum Salutem ſunt neceſſaria.

Præparatio ante Communionem Sacramentalem.

Petere gratiam à Domino, præparando ſe cum debita humilitate & reuerentia.

Conſiderare diligenter, quid ſit communicare cum ſtudio ſentiendi Chriſtum venire ad animam quam creauit, redemit, iudicabit, & mercedem reddet ſecundum opera illius.

Amorem, quo ipſe vult recipi à nobis.

Cauſſam cur veniat, nimirũ vt animam noſtram vnum ſecum faciat.

Humilitatem & deſiderium quo opus eſt, ad acquirendum tantum bonum.

Sumere Sacramentum cum debita Reuerentia & in hac cogitatione manere.

Deum in nobis eſſe, quem mentis ſummo ſilentio & quiete aſpiciat potius admirando quam loquendo.

Si tamẽ vtile eſſet loqui, de ſua infirmitate loquatur, & Paßionibus, paucis verbis, & profundo ſenſu, quaſi Patri benigniſſimo & pientiſſimo Domino, qui ad conſolandam animam tantum velit, illi ſe communicando.

Poſtulare ab ipſo gratiam & remedium, & præ omnibus feruentem amorem ac profundam humilitatem, & ob hanc cauſſam poſt ſumptum Sacramẽtum ad prandium vſque, quantum eius fieri poteſt, non loquatur aliud, quam ante dictum eſt.

De Conuictorum inter ſe Colloquijs.

Conuictores inter ſe colloquantur de Vita Chriſti, de Vita Sanctorum.

De Hiſtorijs Eccleſiaſticis & S.Scriptura.

De ijs rebus quas audierunt in lectionibus ſacris aut prophanis,

Vel in cõcionibus inter prandendũ & cœnandum.

Vel de præſentis Diei Euangelio.

De moribus & Virtutibus Chriſtianis, & earundem operibus.

De bonis deſiderijs ſingulorum ad proficiendum in via virtutum.

De bonis deſiderijs, vt iuuentur Proximi, & recto ſtudiorum fine.

De rebus quæ verſantur in vſu quotidiano, ſi iuuant ad ædificationẽ & honeſtam animi recreationem.

De Quatuor nouiſſimis.

De miſerijs & periculis eorum, qui in terris hæreticorum agunt, Aut qui ſine Timore Dei viuunt.

Breuiter tantum de ijs loquantur, quæ poſſunt ſimul & relaxationem animi afferre, & ad edificationem, & profectum facere.

Mores habeant Chriſtiano homine dignos.

Ne-

Ne ſint ſolitarij, aut ſingulares in recreatione.
Ne ſint leues in actione, aut immodeſti.
Non in inceſſu incitati.
Ne voce vtantur intentiore.
Ne vtantur nimijs cachinnis.
Ne ſint tetrici. Ne Verboſi.
Ne Iracundi; Ne Ironici:
Ne contenſi: Ne moleſti & acerbi.

BREVIS INSTITVTIO CHRISTIANAE PIETATIS PRO CORONIDE.

Hæc prima Religionis ſemina ſunt.

DEVM eſſe ſuper omnia metuẽdum & amandum, qui condidit, qui reſtituit ac gubernat vniuerſa, nuſquam non præſens, nihil neſciens, nihil non videns.

Hunc per Filium ſuum Ieſum ſibi fidentibus, & ipſius Præcepta ſeruantibus detuliſſe Vitã æternam: & vtrumque per Spiritum ſanctum habitare in cordibus piorum.

Deum autem, vt eſt remunerator omnium bonorum: Ita & malorum omnium vltorem eſſe: Itaque nulli perire præmium rectè factorum, etiamſi apud homines pro benefactis reddantur mala: Neminẽ rurſus quantumuis occultè peccet, Dei vindictam poſſe effugere, niſi reſipiſcens ſemet illi reconciliet.

Sic autẽ inferatur nomẽ IESV mentibus puerorũ, vt quam maximè fiat amabilis illorum affectibus.

Deinde perſuadeatur & hoc, Semper adeſſe Pueris Angelos, teſtes ac ſpectatores omnium quæ geruntur, aut etiam cogitantur: Hos delectari pudicitia, modeſtia, ſobrietate, charitate, concordia; diuerſis offendi. In quibus vero viderint has Virtutes, ijs multa bona referunt à Deo, quo magis proficiant.

His proximum eſt, vt de ſacris Scripturis quam

reuerentiſsimè ſentiant : In his enim Deum velut ex oraculo perpetuo loqui mortalibus . Hanc reuerentiam magis imbibet Puer, ſi viderit ſacris codicibus haberi honorẽ; Si conſueſcat exoſculari Codicẽ Euangelicũ: Si de Diuinis litteris nunquam fiat ſermo, per iocum, aut per contentionem : ſed ſobriè ac reuerenter.

Diſcat contemplari Cælorum ornatum: Terræ diuitem prouentũ: Fontium ſcatebras; Amnium lapſus; Maria vaſta; Animantium innumeras ſpecies: Et hæc omnia in hoc condita, vt ſeruiant vſibus hominum; tantum vt homo ſeruiat ſuo conditori Deo.

Diſcat & illa beneficia, quæ Deus peculiariter largitus eſt, electis ſuis per Filium ſuum vnicum, & quotidie largitur per Spiritum ſanctum.

Poſtremo : Quæ præmia maneant pios; quæ item ſupplicia maneant impios.

Admoneatur, quid ſit profeſſus in Baptiſmo, ne deſciſcat ab Imperatore I E S V, cui nomen dedit: Vt veſtem quam accepit cãdidam, ſeruet immaculatam.

Admoneatur inter omnes Chriſtianos eſſe cognationem arctiſsimam, qualis eſt inter eiuſdem corporis membra: Quo videlicet conſueſcat omnem Chriſtianum fraterna quadã caritate venerari, ob hoc ipſum quod Chriſtianus eſt, Sciatque Chriſtum & lædi in ſuis menbris, & refocillari.

Diſcat neminem eſſe miſerum aut eſſe poſſe, qui manet in Chriſto, ſiue contingant aduerſa, ſiue proſpera, ſiue mors ſiue vita: In rebus triſtibus agendas

eſſe gratias Deo, qui noſtræ Salutis cauſſa flagellat nos; In lætis non inſoleſcendum.

Admoneatur qualiter ſe gerere debeat, erga Parentes, erga Seniores, erga æquales, erga inferiores: Aſſueſcat non faſtidire pauperes, comis erga pares, reuerens erga ſeniorem, pius erga parentes. In horum quemuis quidquid officij præſtiterit, ſciat ſe Deo fænerari, cuius Præceptis hæc faciens obtemperat.

Exempla Virtutum potiſſimum illi proponantur ex Vita Chriſti: Deinde ex vita Sanctorum Patrum, & eorum quorum ſanctimonia piorum hominum teſtimonio commendatur.

Admoneatur quam turpe ſit, Inuidere cuiquam aut iraſci, Quam honeſta res ſit, habere linguam parcam, ſobriam, ac circunſpectam, non temere loquẽtem, niſi res poſtulet, nec reſpondentem ad quidquam quod non intelligat: Nihil autem turpius eſſe, quam falſa loqui: Vel velle obtrectare famæ alienæ, præſertim abſentium.

Hæc, aliaque huius generis erumpent aliquando in morum egregiam frugem.

Ad Lectorem.

Conſtitueram hoc loco adijcere modum aliquem Matutino tempore ſe Deo cõmendandi, cum Meditatione & Exercitatione Diurna & Veſpertina, cumque accurata diſcuſſione & examine Conſcientiæ: Sed cum vererer, ne prolixitate nimia offenderem, & his non multum diſsimilia, inuenirentur in Enchiridio

piarum Precum, tum etiam in Precationibus noſtris Liturgicis, Adhæc in quotidianis illis Meditationibus, quas cum precibus Horarijs Antuerpienſes Typographi Ioan. Bellerus, & Chriſt. Plantinus adiunxerunt D. Caniſij Catechiſmo, ſuffecerit locum indicaſſe, ex quo hæc omnia deſcribi queant.

Curent proinde Pædonomi ac Puerorum Inſtitutores, vt quo id tempore eorum ætas requirit, huiuſmodi Pueris proponant, diligenter explicent, eademq́; frequenter repetant, perficiantq́ue graui & crebra adhortatione, & quotidiana obſeruatione, vt nullo die intermiſſo hæc eadem vſurpent, vt ex quibus aliquando ætate maturiori vberrimos Pietatis fructus conſecuturi ſint.

Sed iam ne longior, claudam coronidem, vnà cum Libro, hoc Martialis diſticho.

Liber ad Lectorem.

Sed nimius videor, ſeraq́ue coronide longus
Eſſe Liber: Legito pauca, libellus ero.

FINIS.

Iſtæ Leges & Inſtituta, hac ætate ad inſtituendā pueritiam vtiliſsima ſunt, & proinde digna quæ imprimantur, & ab omnibus legantur.

Henricus Dunghenus Canonicus Antuerpienſ. S. T. D.

Errata per Librariorum incuriam commiſſa; ante lectionem ſic reſtituenda.

Prior numerus paginam.
Poſterior verſum indicat.

*Fol.*2.*Verſu* 8. *Lege,à quoquam* 11.10 *quam ibi,* 12.21. *ſint atque* 19. 4. *diſcipulis,*10.16. *appareant* 21.9.*tacitaque* 21. 17. *inſtaurarint* 23.21. *profectum.*23.25.*numeroſi gregis* 24.4. *deſtinârit* 26. 25. *ſerò* 28.3 *detinent,*39 8.*diſcipulis* 39. 9. *auferret,* 42.21. *nimia* 46.27.*vt quaſi;* 67.5. *reliquarum* 79.21. *Ciceronem eſſe ,* 111. 15. *paulatim* 119. 12. *Sed.* 119.13. *operæprecium* 122.27.*Proſoediam,*135.17. *inter ſe* 150.14.*cōtentiones moneant* 171.18.*continget in,*186.7.*adoleſcens,* 249.13. *adoleſcentibus,* 251.1. *amiſſo freno* 271.8.*vbertate.* *Reliqua Lector ex ſenſu reſtituito.*